Bamph.
Gk. lit.
Hist.

DE

PRISCAE COMOEDIAE ATTICAE NATVRA

FORMA ET LEGIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORVM
MARBVRGENSIVM

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTVLIT

HVBERTVS D'AVIS

CONFLVENTINVS.

MARBVRGI CATTORVM

MDCCCLXVIII.

PARENTIBVS · CARISSIMIS

Ἄνευ γελοίων τὰ σπουδαῖα καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν οὐ δυνατόν. Plat. legg. 3, 2.

Nullum profecto litterarum Graecarum genus tam varia tamque diversa posteritatis iudicia expertum est, nullum adeo tum summis laudibus elatum tum invido dente morsum est, quam prisca quae vocatur comoedia. Multi enim inter recentiores, imprimis inter Francogallos extiterunt, qui nimis iniquas et asperas de comoedia Graeca eiusque principe Aristophane opiniones, iam ab antiquitate traditas paulloque cupidius animo perceptas, superstitiose servarent, qui Aristophanem nonnisi lusibus iocisque inficetis, impudentibus et quamvis infimae plebi acceptis homine tamen liberali indignis insignem fuisse censerent, ac quod superesset laudis sua ipsum polluisse malignitate et maledicentia arbitrarentur, qui denique contemptis et abiectis scurris, quales omnis aetas apud omnes gentes proferre solet haud multo superiorem eum esse iudicarent.

Quae iniquae voces quod nunc demum paene prorsus conticuerunt, eius rei praecipua laus Germanis tribuenda est. Imprimis enim in Germania patria nostra, cuius propriam esse veritatis investigationem ingeniorumque iustam aestimationem gloriamur, caecos contemptorum impetus magna doctorum virorum cohors compescuit ita, ut nostra aetate inter eruditos Aristophanei ingenii scripta poetica quidem virtute eminentissima esse constet, et omnes

fere nunc eant in Platonis philosophi sententiam, qui venustissimo epigrammate de Aristophane ita praedicat:[1])

Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
Ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Iam si quaerimus, unde tam diversae et ignominiosae sententiae existere potuerint, et quo modo factum sit, ut tot viri, et ipsi poetici ingenii haud expertes, Aristophanis gloriae tam infense reniterentur, causas eius rei potissimum in singulari priscae comoediae Graecae indole ac natura positas esse reperiemus, quippe quae tota nitatur in vitae et publicae et privatae rationibus plane diversis a recentiorum aetatum institutis et moribus. Quare valde erraverunt ei, qui iudiciorum suorum rationibus a recentium populorum vel ab ipsorum Atticorum comoediae novae indole petitis sententias de prisca comoedia minus iuste protulerunt.

Facturus igitur operae pretium mihi videor, si priscae comoediae Graecae originem naturam, formam et leges, quantum secutus virorum doctorum et antiquitatis et nostrae aetatis iudicia ex ipsorum poetarum imprimis Aristophanis reliquiis enucleare eas possum, breviter exponere tentabo.

Iam suis temporibus comoediae origines in obscuro latuisse gravissimus auctor est Aristoteles[2]), et nostra demum aetas collectis veterum testimoniis id quidem divinando assecuta est, ut si non certa affirmare possit, tamen quae probabiliter antiquissimae fuerint istorum poematum formae indagaverit. Id quidem certum est, incunabula in festis Dionysiacis posita esse, et ad choros phallicos ab initio ea pertinuisse colligi potest e verbis Aristotelis his:[3])

1) Cf. Vita Aristoph. ap. Imm. Bekk. p. 15, Thom. Mag. Vita Ar. ap. Bekk. p. XL, vita Plat. Olympiod. in calce Diog. Laert. p. 585; non esse mihi videtur, cur his auctoribus fidem non habeamus; neque repugnat epigramma eis, quae Plato in Symposio de Aristophane prodidit.

2) Aristot. de art. poet. 5.

3) Aristot. Poet. 4.

γενομένη οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικὴ ἡ κωμῳδία ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη. Quae quidem carmina phallica messis potissimum et vindemiae tempore non sine lascivia hominumque impotente cavillatione in Dionysi honorem ab agrestibus canebantur, qui solemni pompa incedentes faecibusque ora peruncti phallum qui vocatur, fertilitatis symbolum, circumportabant. Omnino vero in urbe primos choros comicos versatos esse negari debet; etenim si in urbe mansissent ibique comoedia exculta esset, nullo modo tantopere latere potuisset, ut iam Aristoteles eiusque aequales initia ignorarent [1]). Iam sponte intelligitur, plures coniunctis opibus privatis unum chorum instituisse, qui e voluntariis compositus a vico ad vicum procedebat et locis idoneis phallica canebat delectabatque saltationibus colonos. Cum igitur hi chori non in uno loco manerent, sed ab altero ad alterum pergerent, plaustris opus habebant, quibus vecti praetereuntes traducerent et de quibus descendebant, ubi saltationes agere incipiebant [2]).

Quae vero fuerit phallicorum carminum natura, ex ipsius Aristophanis exemplo [3]), comparatis posterioris temporis phallicis, apparet [4]), quae quamquam ab antiquis illis, quibus comoedia originem debet, diversa, tamen quodammodo eorum indolem retulisse existimanda sunt. Fuit igitur carmen phallicum hymnus, in Dionysi honorem, qui ipse ebrietatis et lasciviae prae se ferebat speciem, a choro in duas partes diviso vicissim cantatus, cui eppirhema succinebatur a chorago vel potius ipso poeta. Quo eppirrhemate obvium quemque insolentissima audacia ac procacitate perstringebat, cum in ipsis hymnis singulorum

1) Aristot. Poet. 5. *ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθε κτλ.*

2) Cf. Schol. ad Aristoph. Nub. 295, Equ. 544, Suid. s. v. *τὰ ἐξ ἁμάξης* et s. v. *ἐξ ἁμάξης.*

3) Ar. Acharn. v. 237 hymnum phallicum exhibet; deest vero *ἐπίῤῥημα.*

4) Athen. X, 444 c.

hominum cavillationem et irrisionem locum non habuisse probabile sit[1]; recteque Welckerus et O. Müllerus Ranarum chorum ex mystis compositum antiquissimae comoediae imaginem praebere iudicaverunt. Hymnum igitur, qualis est Aristoph. Ach. 237, coniunctum cum epirrhemate, quale ipse Aristophanes Ran. 416 servavit, prima comoediae elementa fuisse arbitramur[2]. Ac priorem partem popularia carmina continuisse, quae sine altioris artis cultura, tamen numeris quibusdam adstricta a patre filio traderentur, probabile est, posteriorem autem αὐτοσχεδιαστικόν fuisse certissimis Aristotelis aliorum testimoniis constat.

Sin quaeramus, quaenam comoediae pars ex his cantilenis orta esse possit, de dramaticis quae proprie dicuntur omnino negandum est, cum certum sit, comoedias primis illis temporibus a solo choro actas esse et phallica carmina dramatis nec formam nec naturam habuisse. Neque de reliquis chori canticis cogitari potest, quia forma et argumento diversissima sunt, et ipsius sermonis ratio aliam originem prodit; atque Acharnensium chori cantilena supra laudata, quae vere phallica vel certe ad talis cantilenae imitationem composita est, ab omnibus aliis Aristophanis et unversae comoediae canticis tam diversa est, ut hac ipsa re, quantum sit discrimen inter chori comici carmen et phallicam cantilenam, facile appareat.

Cum vero traditum sit, ea carmina Dionysi laudes et singulorum hominum irrisionem continuisse, iam ipsa eorum natura facile eo adducimur, ut parabasin eam comoediae partem esse statuamus, quae ab illis originem duxerit; ac talis primitivae parabaseos antiquissimum exemplum sunt noti illi versus, sive recte sive falso Susarioni tribuuntur: *ἀκούετε λεῴ, Σουσαρίων λέγει τάδε κτλ.* Iam cum constet, pristinis illis temporibus ipsum poetam choreutam fuisse et chorum in scenam produxisse, quod Aristophanis tempore a nullo comoediae poeta factum esse certe scimus, id quoque, quod chorus in parabasi poetae quasi persona indutus loquitur, ex pristino more, quo idem

1) Cf. Kolster, de comoediae Graecae parabasi p. 60.

2) Cf. K. O. Müller in Rhein. Mus. für Philol. V p. 342 sqq.

fuit choreuta idem poeta, explicari potest. Quae cum ita sint, „eandem omnino vindicabimus formam et naturam phallico carmini, quae initio in parabasi obtinebat“ [1]).

Comoedia autem cum postea artificiosius excoleretur et ad tragoediae exemplum alias quoque chori cantilenas reciperet, hanc partem, quae populo in deliciis erat, retinebat ita, ut ex scenae usu immutaretur ideoque a phallicis cantilenis, quae alia ratione et alias ob causas mutarentur, plane diversa fieret.

Quomodo vero ex his quae exposuimus exiguis incunabulis comoedia enata sit et quibus gradibus ad artificiosam quandam perfectionem pervenerit, neque nos certe affirmare possumus neque veteribus ipsis notum fuit [2]). Afferre tamen possumus etiam e litteris Latinis exemplum, quod e similibus initiis ortum dramaticae poesis genus evasit, — Fescenninos dico, qui originem ex usu hominum agrestium ducunt, condita post frumenta versibus alternis opprobria rustica fundentium [3]).

Ac primus quidem omnium Susario, Megarensis ex patria Tripodisco in Atticam profectus, apud Icarios, Dionysiacorum sacrorum cultu nobilitatos, versibus comoediam docuisse creditur [4]). „Quae si vera sunt,“ recte efficit Meinekius, quaest. scen. spec. I, „ut sunt sane meo iudicio verissima, non dubitari posse videtur, quin prima Atticae comoediae paullo artificiosius excultae initia a Megarensibus sint repetenda.“ Idque ipsos Megarenses etiam sibi persuasisse praeter Aspasium ad Aristot. Eth. Nicom. IV, 2 docet nobilissimus locus Aristotelis, quem et ipsum Doriensibus hac in re palmam his verbis detulisse quivis sentire queat [5]): *ἀντιποιοῦνται τῆς μὲν κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς*

1) Cf. Köster, de Graecae comoediae parabasi, Progr. Stralsund 1835 p. 18. G. Hermann, Neue Jenaer Lit. Zeitung Nr. 122.

2) Cf. Aristot. Poet. 5. *τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ λόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα ἠγνόηται.*

3) Cf. Hor. ep. II, 1, 145. Virg. Georg. 285.

4) Cf. Schol. Dionys. Thrac. p. 748, Tzetzes ap. Cramer Anecd. vol. III p. 336 et Bentl. Phalar. ed. Lips. p. 262.

5) Aristot. Poet. III, 5.

οἵ τε ἐνταῦθα, ὡς ἐπὶ τῆς παρ' αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης καὶ οἱ ἐκ Σικελίας· οὗτοι μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν· Ἀθηναῖοι δὲ δήμους· ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως. Atque quod postposuit Aristoteles Megarensium argumentum, a comoediae nomine petitum, id non magni esse faciendum arbitror; nomen enim istud aliter explicandum et a verbis „*κῶμος, κωμάζειν*" derivandum esse nunc inter plerosque viros doctos constat [1]). Gravius alterum argumentum est, ex populari quod apud Megarenses floruit imperio ductum; atque quam Megarensium democratiam intellexerit Aristoteles recte interpretatus est Meinekius l. l.: „Noli dubitare," inquit, „quin eam Megarenses democratiam intelligi voluerint, quae brevi post expulsum Theagenem Ol. XLIII et XLIV instituta fuit quaeque, demagogis plebem dulci libertatis potu inebriantibus, in effrenem plane licentiam degeneravit." Illo igitur tempore ludicra ista Megarica, tum demum ad ludi publici rationes conformata, Susarione auctore in Atticam immigraverunt. Quorum lusuum comicorum facetiis quamquam Megarenses maxime optimates carpsisse vel ex eo intelligitur, quod ipsi comoediam florente apud se democratia natam esse asseverabant, omnino tamen, antiquissimae huius apud Megarenses et Icarios comoediae quae indoles et ratio fuerit, in incerto positum est. Cum autem populare Megarensium imperium haud multo post originem suam Plutarcho teste [2]) in petulantissimam licentiam degenerasset, haec quoque nova quibus utebantur ludicra ad summum audaciae gradum perducta et ad procacissimas cavillationes delapsa esse videntur. Atque haec artis suae initia etiam postea, Atticorum comoedia iam ad egregiam elegantiae et festivitatis laudem exculta, ita tenuerunt Megarenses, ut neque polituram iis neque artificium adderent, utque Attici poetae omnino Megaricam

1) Cf. Anonym. de com. p. XXVII, Böckh, Staatshaush. d. Ath. II p. 363, O. Müller, Dor. II p. 351.

2) Plutarch. Quaest. Graec. p. 295 D.

comoediam tamquam rudem et incultam quocunque modo possent, in contemptum adducerent [1]). Susarionis vero comoediam eandem fere ridendi conviciandique licentiam, coniunctam cum actione mimica, retinuisse, testes sunt Anonym. de com. p. XXXII *μόνον ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον* et Diomed. Gramm. III p. 486 Putsch: „Susario, Myllus et Magnes veteris disciplinae ioculatoria quaedam minus scite et venuste pronuntiabant."

Illum vero, cum Megarensium lusus soluto sermone dicteria effunderent, primum comoediam versibus inclusisse scimus, unde eam fuisse praemeditatam et quibusdam argumentorum finibus circumscriptam iure collegit Meinekius [3]), ita tamen, ut ipsa illa argumenta neque artificiosius excogitata neque ad certum actionis finem directa fuisse videantur."

Proximis post Susarionem temporibus comoedia, cuius totam rationem admodum rudem et incomptam fuisse verisimile est, ita obmutuit, ut minori poetarum studio coleretur et quasi in obscuro lateret, fortasse ne in urbem quidem intromissa teste Aristot. Poet. V, 3 *ἡ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν*: ac post aliquantum demum temporis archon chorum poetis praebere incepit, antea e voluntariis compositum [4]), cum tragoedia pridem in urbem esset recepta [5]). Post igitur satis longum intervallum apud Atticos comoedia aliquanto elegantiore, ut suspicari licet, ornatu prodiit, cum ex Sicilicae comoediae perfectione haud exiguum incrementum cepisset.

In Sicilia enim comoediam, cum elementis illis poe-

1) Cf. O. Müller, Dor. II p. 349, Suid. s. v. *γέλως*, Aristoph. Vesp. 57, Ecphantidis vers. ap. Aspas. ad Aristot. Eth. Nicom. IV, 2; eodem pertinere videntur *τὰ Μαισωνικὰ σκώμματα* ap. Athen. XIV p. 659 a.

2) Schol. Dionys. Thrac. p. 748 *τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο.* Aspas. ad Eth. Nic. p. 53 b.

3) Meineke, fragm. comic. Gr. I p. 25.

4) Aristot. l. l.

5) Hor. Art. poet. 281. Bentley opusc. p. 259. Welcker, Uebersetzung der Frösche des Aristophanes p. 244.

sis comicae Megaricis sine dubio arcte coniunctam, Epicharmus iam cultiore forma expoliverat et ad perfectionis gradum quendam perduxerat. Qui cum primus comoediis suis singula et certis finibus circumscripta argumenta subiecerit perque totam fabulam persecutus sit [1]), a veteribus pater lusus vere comici appellatur [2]). Ex illa vero Siculorum comoedia, adeo aucta et exculta, etiam Atticorum comoediam, quamquam plane diversa fuit illius natura ab Atticae licentia, haud spernendos fructus percepisse, et ex rei natura verisimile est et certis veterum testimoniis firmatur. Aliquanto igitur temporis post Epicharmi aetatem [3]) Chionidem Atticam comoediam coluisse tradit Aristoteles, ita ut eum omnium qui apud Atticos floruere comicorum aetate primum fuisse censuerit [4]), non aliam puto ob causam, quam quod omnium antiquissimus fuit, quorum comoediae et scriptae et artificiosius excultae fuerunt, id quod etiam illos significare voluisse probabile est, qui eum *πρωταγωνιστὴν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας* nuncupant [5]). Isdem fere temporibus Magnes floruit, quem Anonymus de com. *τοῖς ἀξιολογωτάτοις τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας* accenset, id quod etiam Aristophanes ei concedit, non sine laude nomen eius praedicans [6]). Argumenta tractanda sibi sumpsisse videtur ludicra et festivitatis plena, quod praeter Diom. Gramm. III, p. 486 significat Aristophanes l. l.

De Ecphantide hoc loco id commemorare libet, quod cum qui ante Magnetem et Chionidem fabulas docuerunt poetae comici, suis sumptibus choros instruxissent teste Aristot. Poet. V, 3, Ecphantidis chorum non fuisse *ἐθελοντήν*, clare eiusdem Aristotelis testimonio probatur [7]).

1) Aristot. Poet. V, 5 *τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν.*

2) Plat. Theaet., Theocr. epigr. 17.

3) Meinekium sequor, l. l. p. 27, contra quem disputat L. Schmidt, Quaestt. Epicharm. p. 20, 21 et Gött. gel. Anz. 1865 p. 936; nec potest, opinor, certe definiri illorum poetarum aetas.

4) Aristot. Poet. III, 5, Polit. VIII, 6.

5) Suid. s. v. *Χιωνίδης*, cf. Meineke l. l. p. 28

6) Aristoph. Equ. 519 et 524 sqq.

7) Aristot. Polit. VIII, 6.

Cum adhuc eorum, qui quasi viam muniverunt verae et perfectae comoediae poetarum historiam enarravimus, iam ad eos accedimus, quorum singulari ingenio et artificio comoedia, sive externam formam sive argumentorum rationem spectamus, ad id perfectionis est elata, ut non haberet, quo ultra procederet. Nam aucta potissimum mirum in modum vitae et publicae et privatae libertate, cum Pericle duce Athenienses fastigium potentiae essent adepti omniumque artium cultura ornati, etiam comoedia, universa reipublicae ratione fota, insurrexit omnibus viribus et quidlibet audendi potestate, ipsis legibus concessa [1]), impune usa est. Quam quidem rem praeclare demonstrat Bernhardyus Griech. Literaturgesch. II p. 956. Hanc summi floris aetatem inde ab Ol. 86 ad 96 pertinuisse statuamus [2]). Nec tamen defuisse, qui his ipsis temporibus effrenatam comicae Musae libertatem in arctiores fines reprimere conarentur, multis veterum testimoniis constat. Archonte enim Morychide, h. e. Ol. 85, 1, scholiasta ad Aristoph. Acharn. 67 teste senatusconsulto cautum est μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί, eisdemque fere temporibus etiam illam legem perlatam esse suspiceris, qua Areopagitam comoediis scribendis operam dare vetitum est [3]). Quae quidem leges etsi non diu valuerunt, comoediae tamen rationem ipsis illis temporibus haud raro graviter esse afflictam et mutatam, facile ex reliquiis et veterum testimoniis colligitur.

Illam vero summae perfectionis aetatem clarissima comicae poeseos sidera illustraverunt, eorumque princeps et quasi antesignamus extitit Cratinus, cuius aetatem recte ante Cratetis posuisse videtur Meinekius adversante Bernhardyo [4]). Atque Cratinum ad maiorem perfectionis gradum artem perduxisse, et per se probabile est et diserto affirmatur testimonio Anonymi de com. p. XXXII Lips.,

1) Cf. Cic. de Republ. IV, 10, Themist. Orat. VIII p. 110 B.

2) Cf. Meineke, fragm. com. I p. 39.

3) Cf. Plutarch. bellone an pace praest. Athen. p. 384 e; schol. Aristoph. Av. 1297.

4) Cf. Bernhardy, griech. Literaturgesch. II p. 958.

qui commemorata priorum comicorum ratione ut satis rudi et inculta ita pergit: *ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μεχρὶ τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν, καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε, τοὺς κακῶς πράσσοντας διαβάλλων καὶ ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων.* Quibus verbis quod actorum numerum, apud priores promiscuum, ita constituisse dicitur, ut tres tantum in scena personae simul colloquerentur, certe dubitari potest, an erraverit Anonymus, quoniam Aristoteles de art. poet. V, 4 ignorari profitetur, quis personas protulerit vel prologos vel numerum actorum alia id genus. Argumenti autem naturam ita immutavit, ut cum antiquiores poetae comici fabulis suis risum maxime et iocum captassent, ipse primus politicam quandam rationem eis immisceret et improborum hominum mores flagitiaque acerrimis conviciis insectaretur [1]), quare audacem eum apellat Persius Sat. I, 123. Vere autem poeticam fuisse eius indolem Aeschylique ingenio in dispari genere simillimam, disertis verbis tradit Anonym. de com. p. XXIX: *γέγονε δὲ ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα,* atque ipse, qua fuit sui confidentia, ingenii venam praeclare praedicat in nobilissimo fragmento ap. schol. Aristoph. Equ. 523. Neque minus honorifice Aristophanes l. l. eum venusta imagine torrenti omnia secum auferenti comparat dignumque vocat propter reportatas olim victorias, qui in Prytaneo epuletur. Oratio eius, in melicis potissimum fabularum partibus dithyrambicam quandam audaciam spirans [2]) et lyrico colore tincta, summam omnium laudem reportavit [3]). In inveniendis quidem fabularum argumentis optime Cratinum esse versatum, sed eundem in progressu fabulae, impetu quodam ablatum, actionis rationem saepe turbasse et quam inceperat ab initio argumenti telam non ita pertexuisse, ut summa esset singularum partium ad certum

1) Cf. Platon. de com. p. XXVII.
2) Cf. Platon. l. l., Meineke, fragm. com. I p. 51.
3) Cf. Aristoph. Equ. 526.

fabulae finem conspiratio, diserte docet Platonius de com. p. XXVII. Illum vero, secutum Archilochi mordaces iambos [1]), auctorem et principem priscae Atticorum comoediae recte appellaveris eundemque, comoedia ad rationem politicam redacta, poetis idem genus sectantibus exemplar extitisse merito contenderis [2]).

De Cratete gravissimum testimonium extat Aristotelis Poet. V *τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. Τῶν δὲ Ἀθήνησι, Κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου ποιεῖν λόγους ἢ μύθους.* In cuius loci satis obscure proditi interpretatione Meinekium sequor, contra Hermannum quae Aristotelis sententia fuerit ita explicantem [3]): „Mihi quidem Aristoteles hoc significare voluisse videtur, cum Cratinus ceterique antiquiores comici certos quosdam homines in fabulis suis exagitassent populoque propinassent ridendos, Cratetem primum apud Athenienses extitisse, qui Epicharmi exemplo comicae poeseos materiem a singulorum hominum irrisione ad generales morum notationes rerumque descriptiones traduceret; quarum cum alias e communi hominum vita, alias autem e mythicarum fabularum cyclo petisset, non male ut equidem opinor Aristoteles Cratetem *καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιῆσαι* perhibet.“ Quae interpretatio fragmentis ap. Athen. VI p. 267 f et III p. 117 c servatis plane confirmatur; iisque conferre liceat locum Aristophanis Equ. v. 538. Idem Crates, eodem hilaritatis studio commotus, teste Anonymo *πρῶτος μεθύσους ἐν κωμῳδίᾳ προήγαγε*, qua in re eum Epicharmi vestigia secutum esse affirmat Athenaeus X p. 429 a.

Inter ceteros comoediarum poetas, qui paullo ante Aristophanis aetatem floruerunt, commemorare libet Pherecratem et Eupolin. Ac priorem in praestantissimorum

1) Platon. l. l., cf. etiam Bergk, de reliqq. com. Att. ant. p. 6 sqq.

2) Cf. Anonym. de com. p. XXIX, schol. Aristoph. Thesm. 215 et Equ. 923, Athen. VI p. 267 e et XI p. 473.

3) v. Meineke l. l. p. 59, Bernhardy, l. l. II p. 511 atque conferas velim Bergk, de reliqq. com. Att. ant. p. 276.

comicorum numerum refert Anonymus de com. p. XXVIII, idemque Pherecratem non acerbum quoddam et invidiosum sed festivum et hilaritatis plenum iocandi genus coluisse eaque in re Cratetis vestigia legisse docet. Orationis elegantia e fragmentis perspicitur; quare *Ἀττικώτατος* dicitur ab Athenaeo VI p. 268 e et Phrynicho Sophista ap. Suid. s. v. *Ἀθηναία*. De Eupolidis vero ingenio fabularumque indole Platonium praedicantem audiamus [1]: *εὐφάντασκός ἐστιν εἰς ὑπερβολὴν κατὰ τὰς ὑποθέσεις*; quibus haec addit: *καὶ ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποὶ, ταύτην ἐκεῖνος ἐν τοῖς δράμασιν, ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόσωπα.* Ubi *φαντασία* ea intelligenda esse videtur, quam Cic. de Orat. III, 52: „rerum quasi gerantur sub aspectum quasi subiectionem“ apellat [2]. Quod fuit concinnus et ingeniosus in dicteriis et conviciis iaciendis, eius rei luculenta reperiuntur exempla in fragmentis; atque iratum apellat Eupolin Persius sat. I, 124 et Lucianus Iov. Acc. vol. II p. 832 Wetst.

Sed iam comoediae historiam inde ab incunabulis usque ad eam aetatem prosecuti sumus, qua, mirum in modum aucta popularis imperii libertate et succrescente in dies nequissimorum hominum, qui reipublicae statum labefactarent, proventu, comoedia cum liberrimam nacta esset *παῤῥησίαν* totis viribus insurrexit et praeclarissimum suum propugnatorem protulit Aristophanem. Ac quoniam in eius potissimum principis comoedorum fabulis tota quae sequetur commentatio nostra versetur necesse est, praesertim cum ceterorum poetarum comicorum, qui quidem Aristophanis exemplum sunt secuti, nihil nisi exigua fragmenta invidum reliquerit fatum, iam nunc transire licebit ad alteram propositi partem, ut eius quam tractavimus perfectae comoediae naturam et indolem et leges, quales exhibeantur in veterum testimoniis et ipsius comoediae reliquiis, exponamus.

1) Cf. Platon. de divers. com. p. XXVI.

2) Similiter idem designat Quinct. instit. orat. VI, 2, 29. Cf. Meineke l. l. I p. 107.

Atque egregium sane iudicium de generali natura priscae comoediae, quam recte parodiam quandam priscae tragoediae nominaveris, Hegelius protulit [1], ut quin ipsius verba apponam, priusquam singula pertractem, facere non possim. „Komisch ist es," inquit ille, „wenn an sich kleine und nichtige Zwecke zwar mit dem Anschein von grossem Ernst und umfassenden Anstalten zu Stande gebracht werden sollen, dem Subjekt aber, wenn es sein Vorhaben verfehlt, eben weil es etwas an sich Geringfügiges wollte, in der That Nichts zu Grunde geht, so dass es sich in freier Heiterkeit aus diesem Untergange erheben kann;" et paullo infra [2]: „Als wahrhafte Kunst hat auch die Komödie sich der Aufgabe zu unterziehen, durch ihre Darstellung nicht etwa das an und für sich Vernünftige als dasjenige zur Erscheinung zu bringen, was in sich selbst verkehrt ist und zusammenbricht, sondern im Gegentheil als dasjenige, was der Thorheit und Unvernunft, den falschen Gegensätzen und Widersprüchen auch in der Wirklichkeit weder den Sieg zutheilt noch letzlich Bestand lässt. Ueber das wahrhaft Sittliche im athenischen Volksleben, über die ächte Philosophie, den wahren Götterglauben, die gediegene Kunst macht sich Aristophanes z. B. nicht lustig, die Auswüchse aber der Demokratie, aus welcher der alte Glaube und die alte Sitte verschwunden sind, die Sophisterei, die Weinerlichkeit und Kläglichkeit der Tragödie, die flatterhafte Geschwätzigkeit, die Streitsucht u. s. f., dies baare Gegentheil einer wahrhaften Wirklichkeit des Staats, der Religion und Kunst ist es, was er in seiner sich durch sich selbst auflösenden Thorheit vor Augen stellt;" et p. 561: „Der Hauptton, der uns aus diesen Darstellungen entgegenklingt, ist das um so unverwüstbarere Zutrauen aller dieser Figuren zu sich selbst, je unfähiger sie sich zur Ausführung dessen zeigen, was sie unternehmen. Die Thoren sind so unbefangene Thoren, und auch die Verständigeren haben gleich

1) Hegel, Aesthetik III p. 535.

2) Hegel, l. l. p. 536.

einen solchen Anstrich des Widerspruchs mit dem, worauf sie sich einlassen, dass sie nun auch diese unbefangene Sicherheit der Subjektivität, es mag kommen und gehn wie es will, niemals verlieren. Es ist die lachende Seligkeit der olympischen Götter, ihr unbekümmerter Gleichmuth, der in die Menschen heimgekehrt und mit Allem fertig ist.“

Popularis igitur imperii vi in dies aucta licentiaque et intemperantia libidinum imprimis post Periclis mortem a legum moderatione soluta, cum in omnibus vitae et publicae et privatae rationibus mirum quaeque novandi studium exortum esset, et maiorum salubria instituta in deterius verti coepissent, comoedia quae Cratinum, rationis politicae fabulis immixtae auctorem, secuta est, ut nova illa consilia, reipublicae statum eversura, reprimeret, quidquid in republica et in hominum studiis minus rectum et a patrum severioribus moribus alienum videretur, in iudicium suum vocabat et vel parodiaco illo, quem egregie indicavit Hegelius, lusu ironice perstringebat vel gravi et acerba vituperatione aperte reprehendebat. Comici poetae, ut Horatii verbis utar tritissimis,

Si quis erat dignus describi, quod malus ac fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant,

atque ita notabant, ut ipsos illos quos vellicare vellent in scenam producerent et liberrima petulantia exagitarent. Quidquid igitur ei, quae optimi cuiusque animo insidebat, virtutis speciei officere earumque rerum, in quibus summa Graeci ingenii vis elucebat, ruinam ducere videbatur, audacter comoedia aggressa omnemque divinarum humanarumque rerum orbem pervagata est. Neque vero res uti gestae sunt repraesentantur, sed pro arbitrio ingeniosa quadam audacia finguntur ac refinguntur, ita ut quidquid agitur in scena id poetae proprium ac peculiare saepissimeque extra omnes probabilitatis numeros positum sit; atque etiam ei homines, qui inducuntur, sive e vita sive e poetae ingenio eorum species sumptae sunt, plerumque in ridiculum depravati ac detorti prodeunt, ut hac festiva

superlatione ac traiectione vanitas et ipsorum hominum et actionis eo magis appareat.

Sed ut transeamus ad singula argumenta, quae sibi tractanda sumpserit comoedia, principium quasi imminentis ruinae in eo potissimum quaerebant poetae, quod priscam illam erga leges pietatem et sacrorum verecundiam, quam tota fere antiquitas tamquam praecipuam virtutem Atheniensibus tribuit [1]), prorsus abiectam et in effrenatam licentiam perversam viderent; atque huius irruentis impietatis imaginem nulla fere fabula non praebet. Egregie enim Teleclides [2]) beatam priscorum hominum simplicitatem cum gravi aequalium suorum vituperatione pradicat et Eupolis [3]) in *Δήμων* fabula de funesta reipublicae condicione conqueritur, cuius causam in omissam illam pietatem transfert. Maxime vero Aristophanes imprimisque in Equitum fabula, cuius universo argumento ironice quidem sed acerbe licentia castigatur, civibus, quod a prisca virtute adeo recedant, exprobrat [4]). Etiam Ran. vv. 717—737 integrae pietatis norma licentiae, quae tum increbuerat, opponitur et Av. vv. 758—778, vv. 789—804 Aves, quarum imaginibus Athenienses describuntur, libere profitentur, apud se iura contemnere, scelera committere, subire turpia fas esse. Similia poeta indicat Nub. v. 1020, Eccl. 783 multis aliis locis; quare Lacedaemoniis non tantam eversae reipublicae culpam tribuendam esse, quantam ipsius populi depravatis moribus declarat Dicaeopolis in Acharn. v. 310. Graviter quoque insectata est comoedia deficientem verecundiam, qua Athenienses civium dignitatem imminuerent indignosque civitatis dono donarent [5]).

1) Cf. Plat. de legg. III, 2 p. 321 et 323 Bekk. Aristot. Polit. III, 11, 6, Demost. Olynth. 3, 35. al.

2) Telecl. in fragm. ap. Athen. VI p. 268б.

3) Eupol. ap. Stobaeum Serm. XLIII, 9.

4) Aristoph. Equ. 183 et 779.

5) Eupol. in fragm. ap. Athen. X p. 425 et ap. Stob. Serm. 41. Aristoph. Ran. vv. 694, 730, 733, Av. vv. 762; etiam Ran. v. 418, Av. vv. 11, 31, 876 tales de infima sorte cives irridentur.

Una vero cum civium dignitate etiam ecclesiae auctoritas valde afflicta erat, cumque Pericles, quia plerique in forum descendere repudiarent, mercedem ei concessisset, qui ecclesiam adiret, iam nemo fere ultra contiones frequentabat nisi ei, qui quaestum quaererent vel intemperantiae suae in rebus publicis satisfacere studerent eaque ratione forum scenam redderent, in qua solutissimae libidines certamen inirent saepissimeque summa intemperantia victoriam auferret. Ac miseram certe etsi facetiis exornatam speciem, quantopere populi olim potentissimi auctoritas fracta fuerit, Aristophanes proposuit praeter multos alios locos in lepidissima fabula Ecclesiazusarum. Totam enim ecclesiae rationem festivo lusu traduxit eoque magis ridendam praestitit, quod mulieres inducit de ridiculis atque obscoenis rebus consilia capientes [1]; quin ipsa Praxagora, contionis ridiculae praeses, ecclesiae et universae reipublicae statum plane eversum et ad perniciem adductum esse profitetur his versibus:

ὁρῶ γὰρ αὐτὴν προστάταισι χρωμένην
ἀεὶ πονηροῖς· κἂν τις ἡμέραν μίαν
χρηστὸς γένηται δέκα πονηρὸς γίγνεται et

paullo post [3]):

οἳ τοὺς φιλεῖν μὲν βουλομένους δεδοίκατε,
τοὺς δ' οὐκ ἐθέλοντας ἀντιβολεῖθ' ἑκάστοτε.

Quantopere vero verecundia evanuerit erga plebiscita, quantoque plus valuerit privatum commodum quam salus reipublicae, exemplo civis illius ostentatur, qui ut sua servet ecclesiae placita spernit et fallacibus dicendi artibus consilium suum tamquam iustum probare studet [4]).

Eadem autem pestis iudicum quoque munera invaserat, quos leges a populo latas tueri oportebat; ac praesertim ex quo iudicis officium mercede compensabatur,

1) Eccl. v. 30, 52, 128, 135—154, 590—637; ac conferas velim Thesm. 375 sqq., Equ. 888; *χειροτονία* illuditur Acharn. vv. 20 sqq. 599; quin servi ecclesiae subversam auctoritatem irrident Vesp. v. 31.

2) Eccles. v. 176.

3) Eccles. v. 181.

4) Aristoph. Eccl. vv. 730 sqq.

licentia et avaritia priscae fidei atque innocentiae locum obtinuerat. Quare iudicibus non ius sed privatum commodum lucrumque cordi erat [1]), et dum iudicare liceret, sontem insontem quisque damnabat. Atque uberrimam irrisionis et vituperationis materiem hic quasi furor et insania iudicandi comoediae praebuit, ut in nulla fere fabula risui non proponatur [2]). In Vespis autem totius fabulae argumentem in traducendis his perniciosis libidinibus posuit Aristophanes, qui ut inanitatem eius muneris plane ostentet, unum ex iudicibus ridiculum iudicium exsequentem ludibrio exponit et denique vanitatem studii sui intelligentem ac profitentem facit.

Quae vero in causis agendis plurimum valet eloquentia, pravitate illa et libidinibus iudicum ita erat corrupta, ut oratores non rei iustae victoriam parare sed pravis artificiis suum commodum potentiamque apud populum quaerere et perditissimi cuiusque iniustam causam defendere iustamque reddere studerent. Quare Plato comicus, cum omnium malorum, quibus civitas pessumdaretur, causas a pravis publicorum oratorum artibus repeteret, tum rhetoricam artem ut reipublicae perniciosam devovet et condemnat [3]) tum oratores ipsos omni contumeliae genere adspergit, doletque nullum in civitate reperiri Iolaum, qui rhetores velut hydrae capita succrescentes igni ferroque deleat [4]); similesque de hac vitae publicae scabie sententias fert Aristophanes [5]). In parabasi enim Acharnensium nobiles illi senes, qui gloriosissimis proeliis navalibus interfuerunt, querentes inducit, quod adulescentulis oratoribus nunc ludibrio sint, quibus disserentibus ipsos obstupefactos conticescere, nam levibus

1) Xenoph. de rep. 1, 13.

2) Cf. Eupolidis fab. quae *Προσπάλτιοι* inscribitur in Etymol. Magn. p. 288, 18; ac compares velim Aristoph. Pac. v. 505, Lysistr. 380, Av. 38 et 109, Nub. 209, Acharn. 676.

3) Cf. Sext. Empir. adv. Rhet. II, p. 296.

4) Stob. Ecl. Phys. II, p. 26. cf. Meineke, l. l. I, p. 165.

5) Cf. Aristoph. Ran. 1069 et 72, Acharn. 95 sqq. 370, Equ. 325, 880, 1375, Vesp. 947, Eccles. 112.

verbis et fallacibus orationis laqueis simplicem senem perturbari ac causa cadere.

Atque in tanta morum depravatione cum populus se ipse regere non iam posset, forti ac prudente gubernatore egebat, et Pericles quamdiu quidem ille summam rerum obtinuit, cum satis fausto successu imminentem reipublicae perniciem repressit. Illo vero mortuo pessimi quique civitatem gubernandam affectabant, eique potissimum potentia vigebant, qui perditae penitusque corruptae plebis libidinibus obsequerentur quam maxime. Demagogi igitur illi, plebis adulatores [1]), cum nihil nisi illius voluptatem quaerere viderentur, suis tantum cupiditatibus suoque commodo satisfaciebant, rempublicam frustrantes. Populum vero, quamquam data licentia libidines suas explendi se ipsum dominari opinabatur, tamen, cum ab illis reprimeretur et opes suas ad privata commoda usurpari intelligeret, interdum ingratorum tutorum pigebat neque quidquam aeque metuebat ac tyrannidem, quae re vera dudum irreperat. Quare vulgare fuit illis temporibus quemque criminari, quod coniurationis conscius esset et libertatis evertendae consilium moliretur, ac permulti reperiebantur, qui id muneris sequerentur, ut quoslibet homines vel iuste vel iniuste apud irritatum populum coniurationis accusarent accusatosque privati commodi causa damnarent.

Atque illa demagogorum ambitiosa consilia, qui per speciem populo obsequentes eiusque salutem cum ipsorum periculo defendentes, re vera autem suum solum commodum sectantes suisque libidinibus indulgentes populo inscio dominabantur et dominatione sua rempublicam ad summum discrimen adducebant, et haec sycophantarum perdita studia, qui infimo cuique ac pessimo faventes, nulla iustitiae ratione habita, ipsos bonos cives eosque potentes libidini suae et avaritiae devovebant, haec igitur reipublicae non modo labefactatae et ruinam minantis sed plane destructae et subversae luctuosa signa omni quo

1) Aristot. Polit. V, 9, 6.

viguit comoedia tempore atque ante omnes Aristophanes vel festivo lusu in scenam produxit vel gravi cum dolore castigavit [1]).

Cumque demagogi ac pessimi quique cives, quippe qui ista consilia, reipublicae perniciosissima, sibi utilissima, per belli tumultum faveri optimeque posse peragi haud ignorarent, bellum nullo modo ad finem perduci sinerent [2]), Aristophanes, qui unicum interitus remedium in eo cognosceret, ut cives a corruptis vitae urbanae moribus aversi agriculturam iterum susciperent [3]) et pacem pro bello sumerent, pacis commoda ac virtutes duabus illis fabulis Acharnensium et Pacis praedicavit.

Ita igitur vitae politicae quam vocamus orbem totum pervagata nullisque partibus temere addicta comoedia parodiaco illo quem supra indicavimus ac festivo lusu quaecunque vituperanda viderentur, irridenda proposuit. Neque vero satis habebant prisci comici, imaginibus quasi hominum et rerum, quae minus placebant, in conspectu omnium positis quamvis in maius omnia extollentes, quid de ipsis illis rebus et hominibus sentirent declarare atque ita „ridendo dicere verum," sed servata ea ratione, quam supra iam ipsis priscae comoediae incunabulis tribuimus, nullo freno coerciti viris eisque potentissimis nominatim apellatis vitia

1) Demagogos insectatur Hermippus in fabula *'Αρτοπωλίδων* (cf. Aristoph. Nub. 547 et 553), Eupolis in fab. *Μαρικᾶντος*, (Quinct. I, 10, 17) *Πόλεων* (Athen. X p. 425 b) Plato in *Πεισάνδρῳ*, *Πρέσβεσιν*, *'Υπερβόλῳ*. Aristophanes Acharn. vv. 95 sqq., 370, 517 (*ἀνδράρια μοχθηρά, παρακεκομμένα, ἄτιμα καὶ παράσημα καὶ παράξενα*), Ran. v. 680, Thesm. 810. Eccl. 248. Pac. 635, Equ. vv. 48. 215: *τυραννοσκόπους καὶ συκοφάντας* vexat Aristoph. Acharn. vv. 685, 828, 854, 910, Nub. 923, Av. 910 sqq., 1070, 1437, *ἀλλ' ἔστιν ἕτερα νὴ Δί' ἔργα σώφρονα, ἀφ' οὗ διαζῆν ἄνδρα χρῆν τοσουτονὶ ἐκ τοῦ δικαίου μᾶλλον ἢ δικορράφειν*) 1694 (*συκοφάντας πανοῦργον ἐγγλωττογαστόρων γένος* vocat) Vesp. 345, 364, 374, 487 sqq., 1095, Equ. 476. Etiam Cratinus comicus carmen probrosum in sycophantas composuerat (cf. Equ. 529) incipiens *Δωροῖ συκοπέδιλε.*

2) Cf. Aristoph. Acharn. v. 572, Ran. 709, Pac. 269, Equ. v. 1372.

3) Arist. Equ. v. 805.

quaecunque in eis invenerant aperte exprobraverunt [1]), qua in re nonnunquam ultra verum excessisse eos fictaque crimina illis indidisse certis testimoniis constat. Scilicet ferebat ita priscae comediae ratio, accommodata ad exhilarandos spectatorum animos grataque morandos novitate, quos par erat, quo magis veritatem inflecti consultoque depravari viderent, eo procliviores ad risus esse. Neque vero negari potest, poetas comicos interdum, nimio

1) Ex innumerabilibus fere exemplis quae afferre possum aliquot apponam: Pherecrates graviter vexavit Alcibiadem (Athen. XII p. 538 b) Teleclides in *Ἡσιόδοις* Proxenidem, (Schol. Ar. Av. v. 1126) Androclem, (Schol. Ven. Ar. Vesp. 1182) Philoclem, (Schol. Ar. Thesm. 168) Nothippum, Athen. VIII. p. 344 d) Kleomachum in *Στεῤῥοῖς* propter impudicitiam (Athen. IX p. 399 c); Hermippus *Ἀρτοπώλισιν* Hyperbolum eiusque matrem, Eupolis *Κόλαξι* Calliam luxuriosum eiusque assentatores, *κοιλιοδαίμονας καὶ ταγηνοκνισοθήρας*, (Athen. III, p. 100 b) Alcibiadem in fab. *Βάπτων*, (Athen. XII, p. 535 a, Cic. ep. ad Att. VI, 1, Themist. Orat. VIII. p. 110 B, Schol. Iuv. II, 92), Autolycum et Leagoram impudicos, Laespodiam imperatorem, (Schol. Ar. Av. 1568) Hyperbolum, turbulentissimi ingenii hominem in *Μαρικᾶντι* (Aristoph. Nub. v. 547) alios; Phrynichus Pisandrum in *Μονοτρόπῳ*, Plato Hyperbolum et Cleophontem demagogos, Cinesiam, Pisandrum, nequissimum demagogum, Antiphontem, (Plut. Antiph. p. 833 c) Epicratem in *Πρέσβεσιν* (cf. Demosth. de fals. leg. p. 430 Rsk.); Aristophanes Cleonymum Acharn. v. 89, Nub. 853, Vesp. 19, Av. 291, 1470 (*δένδρον ἔκτοπόν τε καρδίας ἀπωτέρω, χρήσιμον μὲν οὐδὲν, ἄλλως δὲ δειλὸν καὶ μέγα*) Equ. v. 1378, Pac. 446, 673; Theorum adulatorem Acharn. 135, Vesp. 41, Lamachum, militem illum gloriosum Acharn. vv. 572 sqq., Ran. 1039, Nicarchum *συκοφάντην* Acharn. 910 sqq., Simonem, furem publicum Nub. 351, Equ. 242, Cleisthenem mollem et effeminatum Nub. 355, Ach. 118, Ran. 416, Av. 835, Thesm. 574, Pandeleten *συκοφ.* Nub. 923, Calliam Ran. 416, Theramenem, qui partes mutare et prodere sciat, Ran. 540, Cleophontem Ran. 680, Kleigenem, studiis privatis paci adversantem eod. l., Ariphradem libidinosum Eccl. 129, Vesp. 1275, Equ. 1281, Agyrrhium impudicum Eccl. 102, 184, Cephalum demagogum Eccl. 248, Neocleidem Eccl. 254, 398, Plut. 665, Eucratem Lysiclemque demagogos populique fraudatores Equ. 130, Amyniam nebulonem Vesp. 74, 466, 1267; Lachem Vesp, 955, Niciam Av. 640 — *οὐχ ὥρα ἐστὶν μελλονικιᾶν* — Hyperbolum Equ. 1304, *ἄνδρα μοχθηρὸν, πολίτην ὀξίνην Ὑπερβολον* al.

maledicendi ardore abreptos vel privatis simultatibus irritatos, ne ab eorum quidem irrisione ac vituperatione omnino se continuisse, quorum et ipsi partes sectabantur ingeniumque laudibus efferebant, quosque honestissimos patriaeque amantissimos esse inter omnes constabat [1]).

Quasi vero exemplar quoddam nequitiae a poetis comicis imprimisque ab Aristophane in Equitum fabula Cleon, qui in republica administranda Periclem ambitiose secutus erat, inducitur ita, ut quaecunque vitia in ullo cive a comoedia reprehendantur, omnia congerantur in unum Cleonem [2]). Ac tam acerbis ille exagitabatur contumeliis, ut olim cum Aristophanes Equitum fabulam in scenam mitteret, qua salsissima dicteria in eum cumulaverat, nemo personam Cleonis fingere auderet Aristophanesque ipse non personatus prodire cogeretur [3]). Quae quidem criminationes, sine dubio e comicorum more ultra verum elatae, quatenus non fictae sint, quatenus vero licentiae comicae vel partium studio vel privatis simultatibus tribuendae sint, disceptare ab hoc loco alienum videtur esse. Ceterum hae cavillationes atque opprobria publica plerumque a Graecis, qua erant illis temporibus levitate, aequis animis ferebantur, et raro ei, qui ludibrio

1) Periclem acerbe castigaverunt Cratinus (Plut. Per. 33) Teleclides (Plut. Per. 3 et 16) Hermippus (Plut. l. l. 33), Eupolis Periclem et Cimonem (Plut. Cim. 15), etiam Aristophanes Periclem tangit Acharn. v. 524, Pac. v. 600.

2) Cleoni se bellum intulisse ipse gloriatur Plato ap. Priscian. IV, 211; cf. Aristoph. Equ. vv. 48, 255 (qui populum deceptum aduletur) 510 (*τὸν Τυφῶ καὶ τὴν ἐριώλην*) Vesp. 35 (*φάλαινα πανδοκεύτρια*) 835 sqq., 955 sqq., 1031 (*ὁ καρχαρόδους, οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον, ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο περὶ τὴν κεφαλὴν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας, φώκης δ' ὀσμὴν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου κτλ.*); etiam mortuum internecino fere odio persequitur Pac. v. 269 (*ἀλετρίβανος, ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὸν Ἑλλαδα*), v. 313 (*ὁ κάτωθεν Κέρβερος*, qui paci adversari solitus sit), 647 sqq. (*πανοῦργος ἦν ὅτ' ἔζη, καὶ λάλος καὶ συκοφάντης καὶ κύκηθρον καὶ τάρακτρον.*

3) Cf. Hor. sat. I, 4. Aristoph. Vesp. vv. 1029 sqq. Pac. 752.

fuerant, ex ea irrisione contumeliaque offensionem vel odium capiebant, quod quidem Alcibiadem exagitatum *Βάπτων* fabula contra Eupolin et Cleonem contra Aristophanem fecisse certis testimoniis firmatur [1]).

Quodsi igitur comoedia ea, quam exposuimus, ratione totum vitae publicae orbem pervagata omnibus fere in republica rebus et hominibus, qui alicuius momenti erant, sales suos adspersit saepeque ipsa gravissima mala, quaeque boni cuiusque civis luctum moverent, cum ioco petulantissimo tractavit, tamen non est, cur poetas risum tantum hominum captavisse et turpiter infimae plebis libidinibus indulsisse putemus, quae dum ridere possit, etiam sacerrimas res profligari atque conculcari gaudeat. Quam sententiam etsi saepe extiterunt qui proferrent [2]), tamen nunquam defuerunt, qui comoediam in vitiis sceleribusque singulorum et reipublicae perdito statu describendis cum voluptate quadam debacchatam esse, ut pessimorum captaret plausum, firmiter negarent, immo poetas, cum exempla nequitiae producerent, corruptos hominum mores corrigere adque priscam simplicitatem redigere et miseram reipublicae condicionem, haud tamen risus iocique delectatione contempta, levare voluisse contenderent. Ac testem prae multis aliis citare liceat Lucianum, qui, ingenio priscae comoediae indoli simillimo praeditus, haec fere de comoedia dicentem facit philosophiam [3]): „Concedo comoediae ex ludi festi more iocari, quia bene intelligo, iocum nullam rem deteriorem reddere, immo vero eo ipso, quae vere pulchra sunt, tamquam aurum igne pura ac splendida fieri.“ Similiter Plinius de Aristophanis ingenio haec prodit [4]): „Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos

1) Themist. Orat. VIII p. 110 B, Cic. ep. ad Att. VI, 1, Schol. Iuv. II, 92, Aristoph. Acharn. v. 377.

2) Satis erit nomina commemorare Plutarchi, Aeliani, Wielandii, Voltarii.

3) Lucian. Piscat. 5, 14.

4) Plin. ep. VI, 21.

defuit. Ornavit virtutes, insectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris usus est apte." Denique ingeniosissimus comoediae aestimator prodeat Hegelius pleno ore Aristophanis laudes in hac re praedicans [1]: „Bei diesem Spott," inquit ille, „und dieser Ironie zeigt sich Aristophanes nie als ein schlechter kahler Spötter, sondern er war ein Mann von geistreichster Bildung, der vortrefflichste Bürger, dem es Ernst blieb mit dem Wohle Athens und der sich durchweg als wahrer Patriot bewies." Sed etiam ipsi poetae comici id suum studium esse declarant, ut seria cum ioco miscentes ridendo doceant spectatores atque, remoti ab omni partium studio, vitia vituperando, virtutes tamquam exemplaria proponendo reipublicae salutem quaerant. *Σπουδαῖα* enim *καὶ γελοῖα* comoediae argumenta esse omnes consentiunt [2]), quod quidem Dionysius Halicarnassensis ita interpretatur [3]): *ἡ τοὶ κωμῳδία τὸ γελοῖον προστησαμένη φιλοσοφεῖ.* Prae ceteris vero Aristophanes multis locis comoediae munus eruditionem et culturam hominum esse praedicat, cuius rei testimonia quaedam ex illius fabulis afferam: Acharn. v. 650 eos meliores fore dicit et bello superiores, qui talem consiliorum moderatorem habeant, qualis ipse sit, et pergit v. 656:

φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ' ὥστ' εὐδαίμονας εἶναι,
οὐ θωπεύων οὐδ' ὑποτείνων μισθοὺς οὐδ' ἐξαπατύλλων,
οὐδὲ πανουργῶν οὐδὲ κατάρδων ἀλλὰ τὰ βέλτιστα διδάσκων,

et v. 661:

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται, κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὢν δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Similia prodit Vesp. vv. 1037 sqq.:

1) Hegel, Aesthetik III p. 562.

2) Cf. Ar. Ran. v. 389:
καὶ πολλὰ μὲν γελοῖα μ' εἰπεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα.

3) Dionys. Hal. art. rhet. p, 302 Rsk.

ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ· φησὶν δὲ μετ' αὐτοῦ
τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν,
οἳ τοὺς πατέρας τ' ἦγχον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀνέπνιγον κτλ.

et v. 1043 se ipsum vocat *ἀλεξίκακον τῆς χώρας τῆσδε καθαρτήν·* quibuscum compares velim hos locos: Pac. 751:

ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας
ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις
οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει.

Ran. v. 686 sq.:

τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν.

Atque comicos poetas non modo hoc studium professos sed etiam eo, quod comoediarum scriptori tribuunt, munere pro virili parte functos esse, nemo sanus infitiabitur, qui ingenii comici monumenta vel primis quasi labris gustaverit nedum penitus animo perceperit. Quanta enim severitate populum ipsum castigant [1]) pravitatemque morum exprobrant, ut mordacissimos sales et acerbissima verba ad notandam nequitiem non repudient, quanto ardore quantaque constantia reipublicae perniciem prudentibus monitis avertere student! Nonne laudibus, tragicam quandam gravitatem spirantibus, priscam illam morum simplicitatem a maioribus cultam praedicant aequalibusque imitandam proponunt [2]), nonne cum magno quodam animi

1) Praeter multos locos videas imprimis, qualis in Equitum fabula prodeat, *Δῆμος* et quomodo certe sine ulla adulatione sugilletur ac vituperetur.

2) Cf. Ar. Equ. v. 565 sqq., Nub. v. 960 eae artes et virtutes, quibus heroes illi Marathonii instructi erant, cum gravi maerore opponuntur recenti educationis modo, quo iuventutis vires effeminentur; ac Vesp. vv. 1076 sqq. praeclare poeta virtutem et pietatem

motu et desiderio excellentium virorum velut Themistoclis, Aristidis aliorum memoriam recolunt [1]), nonne ardente patriae amore ducti miseram eius conditionem lugent et, quae ipsi optima cognoverint consilia, in parabasibus potissimum produnt sectanda! [2]) Num vero ea, quam comoedia secuta est, ratione reipublicae imminens ruina re vera reprimi et mores depravati corrigi potuerint, hanc quaestionem, ne decurramus extra calcem, hoc loco missam facimus.

Sed exemplis e reipublicae conditione arcessitis iam satis politicam comoediae rationem exposuisse et id demonstrasse nobis videmur, quod his verbis declarat Bernhardyus [3]): „Die alte Komödie hat einen politischen Charakter; sie übt das Amt einer politischen Censur aus und vertritt gleichsam als ein edles Pamphlet mit unbeschränkter Parrhesie zum ersten Mal die öffentliche Meinung. Jedes ihrer Dramen beleuchtet das Gesammtleben des Staats in einem einzelnen bedeutenden Momente, worin das Allgemeine zu gleicher Zeit sich abspiegelt.“ Transire igitur licebit ad alterum campum, quem non minore cum ardore comoedia peragravit, artes liberales dico, quae cum vita publica necessitudine coniunctae intima et ad similem licentiam delapsae eidem comoediae uberrimam ridendi vituperandique materiem praebuerunt.

erga patriam illorum laudibus effert, qui contra Persas pugnaverunt:

ἀνδρικώτατον γένος καὶ πλεῖστα τήνδε τὴν πόλιν
ὠφελῆσαν ἐν μάχαισιν, ἡνίκ' ἦλθ' ὁ βάρβαρος κτλ.

quibuscum conferas vv. 1090 sqq., Av. 1366 sqq. Ran. 727 sqq., 1072.

1) Cratinus Solonem et Simonem pie veneratur memoria (Diog. Laert. I, 62) Eupolis Solonem, Miltiadem. Aristidem, Periclem (Schol. Arist. ap. Valcken. Diatr. p. 2?2, Plut. Per. 3 et 24) Plato Themistoclem (Plut. Them. p. 235 Cor.) etc.

2) Cf. Pac. v. 503 sqq., Ran. v. 1431 et memorabilem locum Ran. 690:

πρῶτον οὖν ἡμῖν δοκεῖ
ἐξισῶσαι τοὺς πολίτας κἀφελεῖν τὰ δείματα κτλ.

3) Bernhardy, griech. Literatgesch. II p. 961.

Ac primum quidem de arte gymnica et musica dicendum erit, quae artes ad iuventutem educandam pertinent quaeque hominem καλοκἀγαθόν reddunt [1]). Poetae autem comici omnes fere deinceps de his artibus depravatis et ab animorum cultura ad libidines excitandas deflexis graviter conquesti sunt. Pherecrates enim secundum ingeniosam et satis probabilem Heinrichii coniecturam [2]) Ἀγρίων fabulae argumento potissimum artem musicam spectat et eam quidem illius corruptelam, quae mutatis legibus musicis animos dissolvat atque enervet. Atque Aristophanes Nub. vv. 962—1106 in certamine, quod λόγος δίκαιος et λόγος ἄδικος ineunt, totius educationis modum, et qualis apud maiores fuerit et qualis nunc soleat esse, indicat; ac de arte musica hi potissimum versus agunt:

εἰ δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ' ἢ κάμψειέν τινα κάμπτην
οἷον οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρῦνιν, ταύτας τὰς δυσκολοκάμπτους,
ἐπετρίβετο τυπτόμενος πολλὰς, ὡς τὰς Μούσας ἀφανίζων,

quibus opponit v. 967:

ἐντειναμένους τὴν ἁρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν [3]).

Atque ut ad artem poeticam transeamus, primum lyricae poeseos corruptela, cum musicae depravatione arcte conexa, comicorum et imprimis Aristophanis sales et irrisionem excitat. Nam cum Aristophanes Simonidem, gravis illius Doricae poeseos auctorem, laudibus extollat [4]), qui patrum integram virtutem ingeniumque Grae-

1) cf. Plat. de legg. 2 p. 273 Bekk., de ref. 4 p. 207, Aristoph. Ran. v. 729.

2) C. F. Heinrichius in Demonstrationne loci Platonici e Protagora, Kiloniae 1813.

3) Vide Pherecratem in Χείρωνος fragm. (Plut. de mus. p. 1147 Steph.) Eupolin in Βάπταις et Ταξιάρχοις, ac conferas Arist. Ach. vv. 16, 866, Av. 857, maxime vero Ran. 727 sqq.

4) Pheidippidem enim, a prisca morum sinceritate alienum,

cum digne celebraverit, graviter eam melici carminis rationem Aeolicam castigat, quae mollis et effeminata luxuriei libidinibusque indulgeat [1]; neque vero minus acerba indignatione et despectu prorsus diversum lyricae poeseos genus insectatur, quod, simplicitati ac sinceritati Dorici carminis oppositum, effrenato quodam impetu ac furore sanum modum auferat, quodque plerumque vanis imaginibus et inani grandium verborum strepitu luxurietur, *διθυραμβοποιίαν* dico, quae tum temporis Athenis potissimum ad summam licentiam degeneraverat. Eam enim inanem granditatem et ampullam festive perstringit, cum *διθυραμβοποιητάς* inter eorum numerum refert, qui nubibus alantur [2], *κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας*, *ἄνδρας μετεωροφένακας*, et parodiaco ioco eorum morem imitatus imaginibus re vera ex illorum carminibus sumptis inanem ac vanum quendam furoris poetici afflatum edit [3]. Ac similiter Pac. v. 828 Trygaeus servo interroganti, num unquam hominem viderit aëra pervolantem, haec respondet:

οὐκ εἰ μή γέ που
ψυχὰς δύ' ἢ τρεῖς διθυραμβοδιδασκάλων,

et *τί δ' ἔδρων* quaerenti hoc responsum reddit:

ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμεναι,
τὰς ἐνδιαεριαυερινηχέτους τινάς.

Neque omiserunt poetae comici etiam nominatim appellatos *διθυραμβοδιδασκάλους* in scenam producere et ludibrio spectantium proiicere. Prae ceteris vero Cinesiam [4]) quocunque

de Simon. poematis contumeliose dicentem, (Nub. v. 1364 sqq.) Strepsiadem, antiqui moris tenacem, ea praedicantem facit v. 1358; cf. frgm. Arist. ap. Athen. 15, p. 694; tamen etiam Simonidem tangit avaritiam exprobrans, quia mercedem pro carminibus acceperit, Pac. v. 698.

1) Cf. Ar. Ran. v. 1308, Thesm. 130, 160, Eccl. 883, 920.

2) Cf. Aristoph. Nub. v. 333.

3) Arist. Av. vv. 1360—1396, Nub. 335—39.

4) Pherecrates in fragm. fab. »*Χείρων*« inscriptae servato ap. Plut. de mus. p. 1146 Steph. (cf. Meineke, fragm. com. II, p. 327) Plato ap. Plut. Symp. VII, 8. Arist. Acharn. v. 387, Eccl. 330, Av.

modo vellicant atque exagitant, cuius rei testimonium unum Pherecratis fragmentum afferam, quo de poeseos lyricae et artis musicae perversa ratione conqueritur:

Κινησίας δέ μ' ὁ κατάρατος Ἀττικός,
ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς,
ἀπολώλεκε μ' οὕτως, ὥστε τῆς ποιήσεως
τῶν διθυράμβων, καθάπερ ἐν ταῖς ἀσπίσιν,
ἀριστέρ' αὐτοῦ φαίνεται τὰ δεξιά κτλ.

Sed multo etiam magis quam ceteras artes comoedia tragoediae condicionem tractandam sibi sumpsit, quae, post Aeschyli et Sophoclis mortem praeclarissimis ingeniis orbata, a priore dignitate ac gravitate magis magisque recedere inceperat; quin tanto studio tragicae dignitatis labefactatae naturam ac causam perspexerunt comici, ut Aristophanes quidem merito ingeniosissimus artis tragicae aestimator omnium, quos illa aetas tulerit, sit putandus. Ac ceteri quidem poetae comici, quam aestimationis normam secuti iudicia sua protulerint, quo colligas, vix quidquam certi e paucis, quae nobis tradita sunt, fragmentis elici potest. Tamen Phrynichum in *Μουσῶν* fabula idem argumentum quod Aristophanes in *Βατράχοις* tractavisse ac musicum inter Sophoclem et Euripidem certamen instituisse, ex quo Sophocles victor discederet, fortasse coniicere licet [1]; certe quod in Schol. Victor. a Thierschio edito Actis Philol. Monac. I p. 324 servatum est fragmentum praeclaram Sophoclis laudem exhibet:

Μάκαρ Σοφοκλέης, ὃς πολὺν χρόνον βιοὺς
ἀπέθανεν, εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ δεξιός,
πολλὰς ποιήσας καὶ καλὰς τραγῳδίας·
καλῶς δ' ἐτελεύτησ' οὐδὲν ὑπομείνας κακόν;

ac praeter hoc nihil fere nisi nomina plurimorum poetarum erui possunt, quos comici in fabulis suis traduxe-

930, 1378, Ran. 151, 367; atque etiam Phrynichum in fab. *Μουσῶν* idem argumentum tractavisse probabibe est.

1) Cf. fragmenta Phrynichi serv. ap. Harpocr. p. 104, 3, Meineke l. l. p. 157.

rint [1]). Aristophanes vero omnes deinceps suae aetatis poetas tragicos ad iudicium suum vocavit, ut pro scena quid de cuiusque indole sentiret profiteretur, quare ad eum potissimum haec quaestio de tragoedia pertinebit. Atque δέομαι ποιητοῦ δεξιοῦ·

οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί

ille quidem versu Euripideo [2]) in parodiam deflexo Dionysum de tragicis poetis, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem secutis, iudicantem facit, et plerumque per parodias iudicium suum ita profert, ut dum versus ab illis compositos vel ad illorum modum fictos ridiculose recitat, illos ipsos ridendos praebeat simulque irrisionis causam ac rationem intelligendam proponat.

Praeter igitur plane obscurum poetarum examen, quos vocat ἐπιφυλλίδας καὶ στωμύλματα, χελιδόνων μουσεῖα, λωβητὰς τέχνης, ἃ φροῦδα θᾶττον, ἢν μόνον χορὸν λάβῃ, ἅπαξ προσουρήσαντα τῇ τραγῳδίᾳ [3]), et praeter quosdam breviter nominatos ut Pythangelum [4]), Ionem Chium [5]) praecipuam irrisionem et iocum in Carcinorum gentem cumulat, qui ut ipsi sint corporibus distortis ita etiam pravas tragoedias edant [6]). Philocles, Aeschyli sectator, propter deformitatem atque acerbitatem [7]) eiusque filius Morsimos [8]) propter deficiens ingenium graviter notantur, „qui

1) Pherecrates traduxit Melanthium, (Athen. VIII p. 343 c) Teleclides in Ἡσιόδοις Nothippum, (Athen. VIII p. 344 d) Philoclem, (Schol. Arist. Thesm. v. 168) Ionem, (Athen. VIII p. 344 d); (adque eandem fabulam probabiliter pertinet locus ab auctore vitae Euripidis p. 193 Elmsl. servatus, quo Euripides sugillatur) Hermippus Nothippum in Μοίραις (Athen. X p. 418 d), Plato Xenoclem in Σοφισταῖς (Schol. Aristoph. Pac. v. 792).

2) Ar. Ran. v. 72; versus sumptus est ex Euripidis Oeneo.

3) Ar. Ran. v. 92, Euripidis imitatio.

4) Ar. Ran. v. 87.

5) Cf. Aristoph. Pac. v. 835, Ran. 706, 1425.

6) Cf. Nub. vv. 1261 et 64, Thesm. 168: ὁ Ξενοκλῆς ὢν κακὸς κακῶς ποιεῖ· v. 441; Vesp. 1498 sqq., Ran. 86, Pac. 783.

7) Av. v. 281, Vesp. 462, Thesm. 168.

8) Ran. v. 151, Equ. 401.

enim," inquit poeta, „hunc Morsimon imitatur, cum scelestissimis in tartari paludes descendet," et Pac. v. 783 summum malum in eo cernitur, si quis Morsimi chorum audire cogatur. Alteri vero Philoclis filio Melanthio libidines et impudicitia exprobrantur, quibus eius tragoediae bene respondeant [1]). Atque ut Theognidem transeamus, quem tam frigidi ingenii poetam fuisse Aristophanes exhibet, ut olim cum fabulam ille in scaenam mitteret totam Thraciam nivibus glacieque contractam esse dicat [2]), iam pauca de Agathone dicenda sunt. Cuius quidem habitum externum postquam mollem et effeminatum repraesentavit Aristophanes [3]), ipsius illius verba ironice usurpata in tragoedias vertit; *ὅμοια* enim inquit *ποιεῖν ἀνάγκη τῇ φύσει*. Ac lepidam ingenii Agathonii significationem continere mihi videntur, quae servus tumide profert Thesm. v. 49:

μέλλει γὰρ ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων
δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς.
κάμπτει δὲ νέας ἁψῖδας ἐπῶν·
τὰ δὲ τορνεύει, τὰ δὲ κολλομελεῖ
καὶ γνωμοτυπεῖ κἀντονομάζει
καὶ κηροχυτεῖ καὶ γογγύλλει καὶ χοανεύει·

quo locuto Agathon ipse prodit, ut in solis radiis expoliat et molliat recens carmen, de cuius libidinosa ac delicata natura Mnesilochus ipsius puto Aristophanis iudicium profert vv. squ.

Iam nunc transire licebit ad triumvirorum tragicorum aestimationem explicandam, qualem Aristophanes proposuerit. Atque si quae de Aeschylo quidem et Sophocle profitetur obiter percensemus, facile reperiemus, vix unquam illos a comico vituperari, et cum non sit comoediae ratio, praeclara laudibus efferre, sed minus recta minusque praeclara reprehensione insectari, merito ex eo ipso efficiemus, ab Aristophane eos perfectos tragoedos habi-

1) Pac. v. 804, 1009, Av. 151.
2) Thesm. v. 170, Acharn. v. 10 sq. 138.
3) Thesm. vv. 30—270; cf. Ran. 84.

tos esse, eosque ex eiusdem sententia id officium, quod cum Aeschylo [1]) ipse Aristophanes poesi tribuit, ut dux et magistra sit virtutis honestique, recte executos esse. Aeschylum tamen paucis locis propter nimiam quandam gravitatem verborumque pompam et quia *ὁ χορός γ' ἤρειδεν ὁρμάθους ἂν μελῶν ἐφεξῆς τέτταρας ξυνεχῶς ἂν* leviter tangi, e locis quibusdam Aeschyleis in parodiam deflexis et eis, quae Euripides in Ranis Aeschylo exprobrat, per transennam quasi mea quidem sententia aspici potest [2]). Contra acutissimis irrisionis aculeis Aristophanes exagitat Euripidem eumque graviter ubique obiurgat, quod novae quae omnibus in rebus increbuerat vivendi sentiendique rationi addictus vitae perversos modos in artes transtulerit et tragoediam, antea virtutis honestatisque exempla proponere solitam, licentiae atque artium fallacium magistram reddiderit. Longum est, omnes deinceps locos referre, quibus poeta Euripidem et naturam et formam verae tragoediae prorsus depravavisse demonstraverit [3]). Nam quaecunque per iocum et irrisionem locis passim disiectis de Euripidis indole poetica professus est, ea in unum argumentum collecta cum magna gravitate iterum protulit in Ranarum fabula, qua hunc cum Aeschylo de artis principatu decertantem tandemque misere iacentem induxit; quare in ea fabula tractanda paullo longius versetur disputatio no-

1) Cf. Aristoph. Ran. v. 1054.

2) Ar. Ran. 914, Lysistr. 195—99 (cf. Aesch. Sept. ad Theb. prim. vers.) 714, 889; Ran. 992 (cf. Aesch. Myrmid.) Equ. 843. 1099. Vesp. 342, Av. 279, 330 (cf. Aesch. Eum. 139 sqq.) 811 (Aesch. Myrmid.) 1237 (cf. Aesch. Ag. 516) Thesm. 135 (Lycurg.) Pac. 1177, Nub. 1366; de Sophoclis arte locus haud plane perspicuus est Av. v. 100.

3) Commemorare liceat hos locos: Nub. v. 30, Acharn. 47, 412, 480 sqq., Vesp. 111, 750, Thesm. 177 sqq. (cf. Eur. Aeol.) 194 (cf. Eur. Alcest. v. 691) 272 (Eur. Melan.) 275 et Ran. 102, 1471, (ubi traducit versum ex Hippolyto: *ἡ φρὴν ὤμοσεν, ἡ γλῶττα δ' οὐκ ὀμώμοκ' οὐδ' ὤρκωσ' ἐγώ*) Thesm. v. 855 sqq. usque ad finem; Eccl. vv. 1—30, 338, (cf. Eur. Med. 37) Pac. 147, 533 (*ποιητὴς ῥημάτων δικανικῶν*).

stra necesse est. Atque facere non possum, quin de ea re ipsius F. G. Welckeri verba afferam, qui de huius fabulae indole praeclare sic disserit [1]): „Aristophanes stellt den Euripides dar als abgewichen vom Glauben und alles Göttliche auflösend in mechanische Naturkräfte und Verstand, als spitzfindigen und gewandten Sophisten, der die täuschende und leichtsinnige Göttin Ueberredung hoch verehrt und sich dabei oft in allzu künstliche und frostige Combinationen und Bilder verliert, als anmassend, selbstgenügsam und vorlaut, bereit Alles der Reihe nach zu verfechten, doch keiner Entrüstung fähig; als einen Mann, der zwar in Staatsangelegenheiten treffliche Einsicht hat, aber durch popularisirte und geschmückte Schulphilosophie Alles verdirbt, die Jugend verweichlicht, die Schranken der Sittsamkeit leichtsinnig erweitert, die Laster der Wirklichkeit, besonders Buhlerei als unvermeidlich und verzeihlich darstellt und die heilsam belehrende und stärkende Wirkung der Poesie aufgiebt gegen blosse Verstandesberechnung und Sentimentalität. Gleiche Laxität als im Sittlichen, gleiches Herablassen zum Bequemen und Populären auch in der Kunst, von der er wesentliche Stücke aufgiebt. Statt kunstreicher Anordnung, der Bequemlichkeit uneingeweihter Zuhörer zu gefallen, eintönige Prologe, Leere und Abgeschmacktheit des Planes, buntes Gemisch der Personen, Verrichtungen, Scenen; elende Figuren, Redseligkeit mit den witzigen und feinen Formen der gebildeten Welt verbunden; eine lässigere, glatte, breite, oft ganz alltägliche Sprache; ebenso Kostüme und Umgebung zum Ordinären zurückgeführt, formlosere Verse zum Dialog, freiere, häufig verpfuschte lyrische Rhythmen, gesunkene, zierlich modulirte, zusammengeraffte Liederweisen, Alles sich selbst und den Andern leichter gemacht. So kommt es denn, dass ihm die Gemeinen so ergeben sind, während die Besten ihn hätten werfen mögen, wie er den Thron des Aeschylus begehrt. Ein stärkerer Contrast, als den

1) F. G. Welcker, des Aristophanes Frösche, Giessen 1812.

Aeschylus hiemit bildet, kann kaum gedacht werden. Fromm und still, kraftvoll, majestätisch, heftig, furchtbar und stolz, zu stolz, um sich anders als mit Widerwillen einem Gegner zu stellen, den nur die Menge ihm entgegensetzt, zu stolz, Kampfrichter anzunehmen, die sich Alle gefallen lassen, nur nicht zu stolz, den vollkommenen Meister Sophokles zu lieben und ihm den Thron anzubieten; in der Kunst durchaus einfach, erhaben, grandiös; dabei streng moralisch, Helden dichtend und Titanen bis zum Aengstigen und Bestürzen, Wesen, die ruhig und gleichgültig unter wilden Gestalten des Todes wandeln und doch einer unendlichen Tiefe des Gefühles fähig sind." Postquam igitur Welckerum tam egregie interpretantem audivimus, qua ratione Aristophanes etiam artis priscam rationem probaverit ac sectatus sit, recentem condemnaverit ac respuerit, iam huic de artibus apud poetas comicos tractatis disputationi finem facere licebit.

Denique poetae comici etiam studia philosophorum diiudicanda sibi sumpserunt eorumque potissimum, qui cum a vulgari opinione, poetarum scriptis tradita, aversi rerum et humanarum et divinarum naturam perscrutarentur, maiorum simplicem religionem labefactantes nova et inania commenta probare ac pervulgare viderentur. Ita variae opiniones, quas poetae, philosophi, sophistae de universi mundi natura protulerant, imprimis Hesiodi, Prodici aliorum iocose permixtae deridentur ab Aristophane Av. vv. 688—702 [1]), similiterque Diagorae [2]), Empedoclis [3]), Metonis [4]) praecipueque Anaxagorae [5]) aliorum doctrinae ludibrio exponuntur, atque saepissime Euripides, qui est „ὁ σοφώτατος et in eis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par," ob id ipsum graviter notatur, quod istum de

1) Cf. Hom. Il. VI, 146, Pind. Pyth. VIII, 135, Aesch. Prom. 550, Soph. Ai. 126 al.

2) Aristoph. Nub. 830, Av. 1078.

3) Ar. Nub. 379 sqq. cf. Pac. 834.

4) Ar. Nub. 615, Av. 991 sqq.

5) Nub. l. l. cf. Valckenar. Diatr. p. 25 sqq.

mundi deorumque natura philosophandi modum in tragoediae rationem receperit [1]). Praeterea in Ecclesiazusis Platonica de communione bonorum doctrina manifesta irrisione traducitur [2]) eiusdemque amores, quos testatur Diog. Laert. III, 23 apud Aristoph. Plut. 313, Eccl. 646 maligne tamquam inhonesti ac spurci exagitantur; et Hermippi extat fragmentum ap. Stob. Ecl. phys. I, p. 239, quo Pythagorae [3]), Platonis [4]), Heracliti [5]) disciplinae ad ridiculum detortae leviter perstringuntur. Infensissimi vero inimici poetae comici, priscae simplicitatis fortissimi defensores, fuerunt sophistarum, quos tamquam malarum artium, omnibus in rebus exortarum, auctores omni quo potuerunt odio exagitaverunt. Nam cum Platonem *Σοφιστῶν* fabula sophistarum genus persecutum esse ipsum fabulae eloquium et pauca quae extant fragmenta docent, tum Aristophanes illorum philosophandi rationem permultis locis imprimisque in Nubibus risui habet et gravissimis documentis ostendit, quam perniciosa sit eorum disciplina in vitam quotidianam et in ipsas artes inque tragoediam recepta. Atque sophistarum perniciosas artes cur poetae tam infense insectati sint, quicunque eius disciplinae rationem, sane accommodatam ad simplicem vitae publicae et privatae modum evertendum, perspexerit, nullo modo mirabitur. Sed quo modo factum sit, ut poetae comici quasi ex composito Socratem, cuius et virtutem et doctrinam ut singularem tota fere praedicavit antiquitas, praedicaverunt hae recentiores aetates, ingrederentur tamque probrosis contumeliis illum insectarentur, „qui primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit,“ id neque nunc plane perspicuum est et veteres valde dubitaverunt; quare Lucianus [6]) Eupolin et Aristophanem vocat *δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ*

1) Cf. Valcken. l. l., Ar. Nub. 636, 658; Ran. 1175 cet.
2) Cf. Morgensternii comment. de Rep. Plat. p. 73 sqq.
3) Cf. Brandis, Gesch. der Philosophie I, p. 475.
4) Cic. de nat. deor. I, 8.
5) Cf. Sext. Emp. adv. math. X, 231, Meineke, l. l. p. 381.
6) Lucian. Iov. Acc. vol. II p. 832 Welst.

καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα, ad Socratis potissimum irrisionem spectans. Ac praeter Aristophanem imprimis Amipsias[1]) maximeque Eupolis[2]) Socratem paucis quidem sed tam virulenta acerbitate exagitaverunt, ut ne Aristophanes quidem in Nubibus eos aequasse videretur. Cum vero illorum fabulae ad nos non pervenerint, neque quae fuerit in eis irrisionis ratio suspicari possimus, intra Nubium fabulam breviter tractandam haec quaestio terminetur necesse est. In qua quidem re cum alienum sit a proposito, omnes deinceps virorum doctorum sententias de Nubium Aristophanearum indole deque Socrate irriso prolatas referre, satis erit, ut quid mihi accurate persecuto fabulae argumentum diligenterque perscrutato virorum doctorum opiniones videatur iudicandum, paucis exponam. Maxime igitur Suevernium[3]) secutus haec statuo: Nubium fabula Ol. 89, 1, quatuor igitur et viginti annis ante Socratis mortem composita vel in scenam missa est, quo quidem tempore illius doctrina sane non adeo innotuerat, ut quem studiorum philosophicorum finem sectaretur Socrates omnes intelligerent. Eodem autem tempore sophistarum disciplina vigebat, quam indefesse comoedia vexavit; ac Socrates, quamvis alienus ab illa philosophandi ratione, tamen forma quidem ac specie externa ad eam se applicavit ita, ut necessitudinem quandam inter utramque disciplinam intercedere nullo modo negari possit. Quare non mirum mihi videtur esse, si Aristophanes, sine dubio ab omnibus studiis philosophicis omnino alienus, cum ex eodem fonte et Socratis et sophistarum doctrinam philosophicam manare ratus quantum inter utramque differret non satis perspexisset, Socratem tamquam principem quendam et antesignanum istius, quae tunc vigebat, philosophiae repraesentaverit. Qua in re quod omnia illius vitia ac perversitates in hunc unum cumulavit, ex more comicorum factum est.

1) Amipsias in *Κόννῳ* cf. Athen. V, p. 218 c.
2) Cf. Schol. Ar. Nub. 97.
3) Süvern, über Aristophanes' Wolken, Berl. 1826.

Accedit vero, quod Socrates arcte se applicavit ad Euripidem eiusque artem valde fovit, quem Aristophanes tamquam auctorem rationis sophisticae in artem tragicam receptae acerbissimo odio vexavit; atque ob eam causam ambos tamquam eisdem perversis studiis deditos exagitat Ran. vv. 1490 sqq.

Sed etiam magis quam ea, quae adhuc nominavimus, singularis Socratis victus et habitus, qui festive Nub. v. 362 sic describitur:

ὅς βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις
κἀνυπόδητος κακὰ πόλλ' ἀνέχει κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς,

poetam commovere potuit, ut comicum fabulae argumentum in homine tot proprietatibus insigni poneret. Quare in universum facimus cum Suevernio sic disserente: „Es sind nicht sowohl Personen als Principe, welche Aristophanes in den Wolken und in den Hauptcharakteren, namentlich dem des Sokrates angreift [1]).

Quodsi iam supra ostendere conati sumus, comicos poetas praecipue ob labefactatam religionem ac pietatem tanquam parentem eius mali philosophiam persecutos esse, valde repugnare videatur, quod etiam ipsi dei ac res sacrae verecundia nulla adhibita saepissime ridendi inducantur, quin haud pauci ob eam rem poetas impietatis et irreligiosae mentis incusaverunt. Plato enim fabulam composuit Ζεὺς κακούμενος inscriptam, cui contumeliam nescio quam Iovis innexam fuisse ipse titulus docet, et permultis locis deos variis eisque turpissimis vitiis contaminatos risui exponit Aristophanes et res sacras in ludibrium trahit [2]). Qui mos comicorum, iam ab Epicharmo eisque poetis, qui illum secuti sunt, observatus et plane nixus in ipsis

1) Cf. Ritter, Gesch. d. griech. Philosophie Bd. I, p. 577 sqq. Brandis, l. l. I, p. 516 sqq. Atque eandem sententiam protulit Lessingius, Hamb. Dramaturgie, II, XCI.

2) Ar. Eccl. dei perstringuntur, quod munera semper accipiant nunquam dent; Av. 560 propter commeatum cum feminis mortalibus; in Avibus et Ranis Heracles tamquam comedo, Dionysus gulosus, timidus, rebus venereis deditus inducitur al. Thesm. vv. 10 sqq. Pac. v. 374 mysteria, Equ. 196 oracula irridentur.

poeseos comicae incunabulis, maxime mihi referendus esse videtur ad petulans immodicumque vulgi ingenium, etiam sacras res intemperanter ac lascive tractare soliti; neque poetae menti exprobrari debet facetiarum genus, quod radices agit in universi populi indole [1]. Ac commemorare libet, etiam in ludicris, apud recentiores populos totius fere Europae temporibus medii aevi usitatis, ingenium haud dissimile apparere. Verum etiam poetas, quippe qui subtiliorem rerum divinarum cognitionem haberent, humiles opiniones vulgi, quod deis naturam prorsus humanam omnibusque vitiis obnoxiam affingebat, traduxisse et eam rationem, qua homines rebus sacris male abutebantur, ridendo damnavisse contenderim.

Quod vero adhuc probare studui, poetas comicos non ipsos deos ipsamque religionem sed falsas de illis opiniones risui habuisse, scriptorum reliquiis valde confirmatur. Quicunque enim Aristophanis, de quo solo in hac re certum iudicium facere possumus, fabulas accurate cognoverit, mea quidem sententia mentem vere religiosam in eis deprehendi negare non poterit. Nam, ut singula quaedam afferam, Socratem et Euripidem eo potissimum reipublicae perniciosos esse exhibet, quod deorum cultum negligant et priscam pietatem subvertant; et omnino quicunque priscae simplicitatis defensores in fabulis prodeunt, eis etiam sincerae religiositatis speciem poeta praebet, cum novae rationis sectatores tamquam impios divini numinis contemptores inducat. Ita Aeschylum, antiquae virtutis propugnatorem, solemni voto precantem facit Ran. vv. 886 sq.:

Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα (δός)
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων,

contra Euripidem *τοὺς ἰδιώτας θεοὺς* ita invocantem:

1) Cf. Welcker, griech. Götterlehre, II, p. 94 sqq., a quo aliquanto dissentiunt Nägelsbach, nachhom. Theol. d. griech. Volksglaubens, p. 472 et C. Kock. Jahrbb. f. klass. Philol., Supplementband III, p. 78.

αἰθὴρ, ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώττης στρόφιγξ,
καὶ ξύνεσι καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι,
ὀρθῶς μ' ἐλέγχειν ὧν ἂν ἅπτωμαι λόγων.

Praeterea Nub. vv. 299 sqq. ipsarum Nubium chorus veros deos solemniter praedicat, et quaecunque in rerum natura temporumque condicione mutantur, divino numine fieri poeta saepe profitetur[1]. Atque sublimes illi hymni et chori cantica, qualia Aristophanis fabulis continentur, non sunt inanis grandium verborum strepitus nec sunt cum ironia quadam prolata, ut nonnullis visum est, immo vero veram sinceramque opinor spirant religiositatem[2].

Haec igitur fere sunt argumenta, in quibus tractandis comoediae licentia ac lascivia debacchata est. Raro tantum in vita domestica versatur describenda nec saepius amoris vis repraesentatur nisi forte eius amoris, qui tantum libidines suas explere studet. Atque hae libidinosae voluptates, ab omnibus quidem quaecunque in comoedia prodeunt mulieribus ostentatae, tanta intemperantia tantaque petulantia saepe proferuntur ac describuntur in fabulis, ut id ipsis poetis morum perditorum atque impudicae mentis crimen contraxerit[3]. Quae criminatio nullo modo probari potest; neque enim poetae obscoenitates illas ita proponunt, ut ipsi iis plaudere videantur, sed tam aperte plerumque hominum libidines inducuntur, ut eo ipso omni voluptatis stimulo privatae, potius turpes atque contemptae appareant. Quare cum Reisigio Coniect. praef. p. IV Aristophanem etiam ea ratione longe esse innocentiorem duco multis nostris comoediarum scriptoribus, qui miseris et perditis alendis augendisque amoribus animos effeminant atque enervant, et cum verecundiam simulent, fuco atque

1) Pac. 1140, 1172; cf. Pac. 943 sqq.

2) Equ. 551 et 581; Lysistr. 1262 et 1314; Ran. 324 sqq., 377, 382, 454; Nub. 1506.

3) Spectant comoediae adversarii tales potissimum locos, quales sunt Acharn. vv. 790 sqq., Equ. 1284, Vesp. 1342 sqq., Pac. 885, 965, Lys. prolog. v. 107, 150, 210 sqq., 362 sqq., Thesm. 642 sqq. Eccl. 876 sqq. al., cf. Eupol. fragm. V fab. „*Πόλεις*", de quorum quidem obscoenitate sane dubitari nequit.

pigmentis flagitiosa condunt, neque ad risum apertum, ut ille, sed ad libidinem occultam alliciunt et innatos hominibus igniculos ad morum pravitatem detorquent. „Daher kommt es auch," praeclare de hac re locutus est Rötscherus [1]), „dass grade dasjenige Volk, dessen Dichter der Frivolität am meisten huldigen, sich mit Verachtung von denjenigen Werken der Kunst abwendet, in welchen die Sinnlichkeit ihren wahren Charakter behalten hat, da sie gleichsam das Wesen ihrer glänzenden und ergötzenden Erscheinung in der ganzen Nacktheit und Natürlichkeit erblicken. Der Zorn und Unwille über jene Kunstwerke kann gleichsam als der Unwille über die Enthüllung ihrer eigenen Natur angesehen werden." Causae vero ac fontes apertae illius atque effrenis licentiae, cui quidem magna vis comica derogari non potest, e petulanti Graecorum ingenio petenda sunt, qui solemni pompa phallum circumferebant aliaque talia sine pudore publice agebant, qualia tamquam turpia parumque verecunda spectare vel audire hodie virum honestum non deceret; neque omittendum est, quod honestas quidem matronas et virgines ad fabulas comicas spectandas illis temporibus non admissas esse omnes probabilitatis numeros habet.

Postquam supra conditionem reipublicae, quae tum Athenis erat, vitam privatam et litterarum statum disputatione nostra amplexi ostendimus, quaecunque poetae nostro perversa videbantur vel ridicula, haec ab eo irrisa, vituperata, castigata esse, consentaneum erit, ut hoc loco summam quasi facientes commentationis demonstremus, quod consilium secutus quibusque rationibus addictus aequales suos Aristophanes carpserit atque perfricuerit. Quibus expeditis commode subiungi posse putamus enumerationem atque censuram quarundam sententiarum a nostris diversarum, quae iam antiquitus prolatae posterioribus temporibus interdum repetitae nostra aetate a viris satis locupletibus ingeniique acumine praeditis acerrime defensae multorumque applausu probatae sunt.

1) Th. Rötscher, Aristophanes und sein Zeitalter, p. 39.

Nostram igitur de Aristophanis rationibus sententiam, quae fere consentit cum eis quae nuper Teuffelius protulit[1]), ita complecti possumus.

Aristophanes indignatus de morum corruptela tunc et in republica et in vita privata latissime patente, de studiis aequalium in privata tantum commoda conversis, de ambitu inanisque gloriolae aucupio, quae vitia pro pristino patriae amore et integerrima publicae salutis cura irrepserant, tum miseratus leges omnes maiorumque instituta neglecta iacere, rerum divinarum cultum volgo irrideri, plebem in omnes voluptates effusam superstitione teneri plane puerili sophistarumque pravam sapientiam latius in dies serpere, denique de omnis bonae disciplinae lapsu exacerbatus mente sua et studio se convertit ad gloriosum illud bellorum Persicorum tempus, quo nullum unquam laetius auspicatiusque Atheniensibus effulsit, licet fulgore rerum contra hostes praeclare gestarum haud paucae quae in ipsa republica extabant labeculae in occulto laterent vel absconderentur. Illud igitur tempus Aristophanes amore atque admiratione ita amplexus est, ut aetatem splendidiorem feliciorenque sibi omnino non posset cogitatione effingere, utque, quamvis perspiciens prisci temporis incommoda, maiorem partem corruptelae grassantis ingenio suae aetatis tribueret et antiquam morum integritatem omni ope revocandam censeret. Quibus autem remediis rebus labentibus subveniri posset, id exquirere poeta nec volebat nec debebat; immo satis ei erat speciosam illam effigiem semper ob oculos sibi versari mentique suae ita infixam esse, ut formam eius in fabulis tabulae pictae instar proponere et vividissimis coloribus illustrare posset. Sic enim de rebus praesentibus optime sibi videbatur mereri, ut aequalibus copiam faceret, sincero iudicio temporum diversitatem examinandi.

Itaque sanam illam ac sobriam vitam laudibus extollens non sine acerbitate ingenium multitudinis temerarium

1) Cf. Pauly, Realencyclop. s. v. Aristophanes, Morgenblatt Nr. 33 et 34.

atque inconstans aversatur salibusque perfundit ambitionem pravitatemque eorum, qui propterea quod multitudinem pro lubitu regebant ducebantque δημαγωγοί vocabantur, denique castigat atque abominatur socordiam, qua ea quae maiores tam egregie in civitate et vita publica instituerant, omittebantur vel abrogabantur. Inde igitur fluxit Aristophanis ille ardor, quo praedicavit incorruptam simplicitatem, frugalitatem eorum, qui apud Marathona pugnaverant quique sua parvi pependerant, reipublicae omnia postponentes ac devoventes; inde quoque execratur bella continua, ad quae tum populus a suis ducibus semper instigabatur, et inanem qua omnes vexabantur gloriae titillationem, praecipuum antiqui moris restituendi impedimentum, ex animis civium evellere atque eliminare studet.

Sed omnia sui temporis mala radices agere arbitratus est in nova ratione de summis rebus cogitandi, primum quidem gliscente, sed tum iam in dies increbrescente. Quare vehementissime illos aggressus et insectatus est, qui eam cogitandi ac sentiendi rationem prudentes defendebant eiusque propugnatores extiterant, e quibus doctrina atque auctoritate imprimis insignes erant ideoque maxime perniciosi ei videbantur Euripides et grex sophistarum. Sophistae enim, quorum placitis Euripides poeta ita fere addictus videbatur, ut eorum apud plebem interpretem se praestaret, in quaestum et famam potissimum intenti et paene nullo veritatis sensu praediti eo quod de omnibus rebus in diversas partes disserere solebant, firma nec ullo modo commovenda temere convellebant et res sanctissimas optimeque constitutas in dubium vocabant.

Hos igitur imprimis sibi sumpsit adoriendos, semperque, ut equidem opinor, per omnia et vitae suae et poeseos momenta sibi constitit in eis lacessendis atque impugnandis, neque unquam novas illas rationes reprobare ac redarguere destitit. Etenim Teuffelius errare hac parte mihi videtur, qui Aristophanem putat in eis comoediis, quas medio vitae suae spatio scripsit, titubasse quasi et incertum rectumne cursum teneret a via quam ingressus erat paullum declinasse. Minime vero, quamquam etiam

C. Kockius aliquam principiorum mutationem Aristophani imputare non dubitat [1]), id Teuffelius mihi potest persuadere, poetam nostrum de eis, quae post diligentem meditationem apud se constituerat, dubitantem ad contrarias rationes parasse transitum. Nec satis apte eum arbitror ad suam de Aristophane sententiam illustrandam comprobandamque laudasse Hor. art. poet. 173, quo loco profectus confirmare studuit, Aristophanem antea paene transfugam morositate senectutis ad illud quo iuvenis commotus erat sui temporis fastidium reductum esse, et ita demum, ut cum Horatio loquar, vela dedisse atque iterasse cursus. Hoc sane concedendum est, poetam nostrum per mediam vitae aetatem de rebus publicis Atheniensium placidius atque sedatius locotum esse. Etiam fere exuerat rigidum morum censorem hilaresque iocos interim fundere malebat quam temporis pravitatem castigare atque insectari. Neque tamen a pristina cogitandi severitate multum remisisse et e se ipso quasi excessisse censendus est. Nam mutatus ille comoediarum color ac habitus satis, opinor, excusatur tristitia illorum temporum, per quae poeta patriae amantissimus in animum inducere vix poterat vulnera quasi civitatis scalpello crudeliter pertentare. In eis vero rebus, quae ad vitam privatam, litterarum et artium conditionem pertinebant, eadem cum constantia eodemque cum ardore omnibus in fabulis pugnam susceptam persequitur, et ne armis quidem mutatis utitur, sed consuetis et iam pridem probatis. De vera igitur ingenii doctrinaeque mutatione omnino non possumus cogitare.

Haec vero arma Aristophanes ad illius temporis usum et consuetudinem plane accommodavit. Unde propriae ac mirae quodammodo rationes extiterunt, quae inter finem ei propositum et modum eius petendi intercesserunt. Exoptat enim vehementer antiquam totius reipublicae formam eamque assidue commendat, et tamen ipse prorsus recentis temporis alumnus est, qui ad antiquitatem

1) Cf. C. Kockii commentationem in Jahrbb. f. klass. Philologie, Supplementband III, p. 78—80.

vindicandam ne armis quidem antiquis utitur, sed eis quae ipsius aetas subministrabat.

Omnis eius opera (sic fere Teuffelius de hac re loquitur) secum pugnabat, et quia fieri non poterat, quin labor ea ratione inita, quae propositis paene contraria adductura esset, irritus maneret, ipsius poetae animus irritatus et contristatus est. Pugnat enim Aristophanes pro deis a maioribus acceptis, sed ipse nihil praetermittit, quin irrisione deorum fidem auctoritatemque elevet eosque reverentia plane sublata ridiculos reddat. Tum increpat plebis potentiam nullis finibus coercitam, dum ipse communi licentia pro lubitu suo uti non dubitat; castigat eos qui multitudini omnibus blandimentis inserviebant, dum ipse populum ita assuefacit, ut causam originemque omnium malorum non in se sed extra quaerat. Denique incusat rerum novarum cupidos, dum omni opera enititur, ut praesentem rerum statum subvertat. Sed etiam huic rei nimium Teuffelius tribuit momentum ad destruendum reipublicae statum. Sane ludo suo comico nihil nisi fucatum colorem rebus abstergere ac detrahere volebat; verum hoc genus poeseos ita comparatum erat, ut sana quoque rerum natura invito poeta attrectata et vexata laederetur.

Quamquam cavendam est, ne comicam Aristophanis licentiam nostro elegantiae sensu nimis fortasse polito metiamur. Nam cum diversa sint diversis temporibus hominum de decoro iudicia, alia ac nunc solet in Aristophane adhibenda est mensura, nisi iniuria eum afficere velis.

Quod multi censores, ceterum ingenio doctrinaque praecellentes haud scio an non satis perspexerint ac reputaverint. Ad nostri enim temporis normam dum omnia volunt dirigere ac confirmare, de Aristophanis habitu inique videntur iudicare. Ei igitur si didicerint, non eadem omnibus esse honesta ac turpia, non mirabuntur, in Aristophane multa deprehendi, quae apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. Neque ita ut opus est illi viri perpenderunt, in comoedia paene adversos esse et contrarios *τὸν σκοπὸν καὶ τοὺς*

πόρους; quare consilia poetae ab illius aetatis indole plane aliena et modum agendi ad aequalium gustum accommodatum eadem trutina eisdemque ponderibus examinaverunt, qua sane ponderatione totum hoc genus perversum apparere paene necesse erat. Ita nuper Droysenius in praefationibus translationum Aristophanearum de poeta nostro censuram nimis severam et tantum non infestam exercuit. Quid autem de Aristophanis comoedia existimet, his fere verbis complectitur: Comoedia ita comparata est, ut omnibus quae publice instituta sunt quaeque ab universis rata ducuntur adversetur; quodsi igitur Cleon in concione sic loquitur: *ζητοῦτε ἄλλο τι ὡς εἰπεῖν ἢ ἐν οἷς ζῶμεν, φρονεῖτε δὲ οὐδὲ περὶ τῶν παρόντων ἱκανῶς*, his verbis etiam comoediae natura, populi indoli haud dissimilis, plane designatur. Quare poeta comicus id semper agit, ut reluctetur atque reclamet non eis tantum, quae perversa ei videntur, sed omnibus quaecunque usu recepta sunt, neque aliam ob causam quam quod instituta sunt.

Tali modo Droysenius ullum omnino finem vere honestum Aristophanis poesi inesse negat omnemque morum emendandorum habitam rationem ab ea abiudicat; quin id solum comoediae propositum fuisse, ut populus salibus, facetiis, cavillatione delectaretur, ideoque dicacitatem comicam a nulla re irridenda se abstinere et perfecta, perversa, sacra, profana iuxta habere, dummodo risum excutiat sibi et vulgi cachinnos moveat. Eam vero sententiam confirmaturus Droysenius fere in eo se continet, ut copias rationesque poetae examinet invehaturque in effrenatam comoediae licentiam; et dum externam huius generis speciem reprobat ac vituperat, vix respicit ad internam honestatem et ad severitatem ex tota compage enascentem, quae a quoque lectore sine opinione praeiudicata ad Aristophanis lectionem accedente facile, opinor, pernoscetur. Nullo enim modo expediri possunt vel refutari multi illi loci summae severitatis, qui animum patriae amantissimum et vere tragicum spirant quique sincera erga deos pietate insignes sunt, licet de religione et cultu divino Aristophanes aliter ac volgus iudicaverit. Utut vero est, ludibrium

humilemque iocorum improbitatem non intellego quo quis modo in eis locis deprehendere possit. Quare qui secus de Aristophane statuunt censores necesse est interdum angustiis circumveniri. Ipse quoque Droysenius nonnullis locis libri supra laudati (velut II p. 22 et 302) ab austeritate sententiae suae aliquid videtur remittere, sane brevi post resumpta acritate eius defensionem revocaturus. Admiratur ille quidem eximie in poeta animi fortitudinem ac constantiam, qua certamen contra Cleonem ceterosque demagogos semel susceptum iterum iterumque redintegravit, quamquam eius pericula non ignorabat. Sed facere nos quidem non possemus, quin talem tenacitatem ut insolentem audaciam temeritatemque despiceremus, nisi Aristophanem morum emendandorum semper habuisse rationem et omnia ad certum hunc finem direxisse deberemus statuere. Vana enim fuisset illa pugna, si nihil aliud poetae comico propositum fuisset, quam ut risu auditoris rictum diduceret.

Nec satis Droysenius videtur considerasse, in ipso civitatis progressu eiusque interna conformatione semina quasi certaminis contra rerum novam formam suscipiendi sita fuisse et praesentem civium conditionem, vitam publicam, communem cogitandi ac sentiendi rationem non sine acerba dimicatione immitique ingeniorum congressu plane commutari posse.

De ratione enim inter Aristophanem et aequales intercedente deque toto poetae consilio et fine tanto cum despectu iudicat: „Es ist im Sinne der Thoren, gegen die Wissenschaften die Trivialitäten von Nutzlosigkeit, Verderblichkeit, Müssiggängerei geltend zu machen; es ist im Sinne der argwöhnischen Dummheit, Abschaffung althergebrachter Missstände als Gefährdung heiligster Rechte zu verschreien; es ist im Sinne niedrigster Gemeinheit, was man nicht begreift, mit Hohn zu besudeln und fremde Ansicht durch Herabwürdigung ihrer Vertreter zu bekämpfen.“ Quid enim? Nonne rerum omnium commutatio, quamvis sit necessaria, quamvis salutaris et ad conformandum tempus futurum utilis, tum ipsum, cum antiqua con-

ditio collapsa vel destructa est, novis institutis nondum firmatis, multis aequalium ruina videbitur et totius civitatis eversio atque exitium? Nonne extrema pernicies futurum esse ut ingruat augurabuntur? Sed posteriori aetati prospere solet contingere, ut fructus tempestivos, quibus tempestates pepercerunt quique solis ardoribus maturi facti sunt, decerpat eisque fruatur. Denique quod Droysenius eum, qui Aristophanis comoediis dignitatem quandam tribuat ad mores emendandos pertinentem, censet poeticum huius generis pretium deterere ac comminuere, equidem arbitror quodque artis opus ob morum rationes, quas artifex in eo prudens expressit, non modo non cadere dignitate et pretio, sed crescere atque augeri. Id quidem pro certo licet affirmare, quod poetae laudi detrahimus illam, quam supra probare studuimus, sententiam secuti, id hominis laudi nos addere, ita ut Aristophani detrimentum acceptum, si quod omnino accepit, large compensetur.

Etiam acrius Droysenio in Aristophanem invehitur modum fere excedens in vituperando Grotius (hist. of Grece, vol. VIII). Nisus enim nonnullis locis, quibus Aristophanes secundum comoediae naturam ac morem quae in vita communi accidere solebant mirifice exaggeravit et ridicula reddidit vel quibus homines quosdam nimis auctis eorum vitiis malignisque criminationibus avidius arreptis ita depinxit ac delineavit, ut re vera deteriores et turpiores apparerent, talibus igitur locis nisus eo procedit, ut corruptelam in vita publica et privata tum ingruentem, cuius forma ac lineamenta in comoedia satis accurate pro huius tabulae materie expressa extant, plane fictam esse ab Aristophane contendere non dubitet. Illum enim sui temporis accusatorem calumniari criminatur, nec satis compertum sese habere profitetur, num illa aetas, quam Aristophanes ubique aversatur ac fastidit quamque assidue mordaci aculeo petit, praeferenda sit temporibus belli Persici ab eodem ingentem in modum celebratis ac praedicatis. Etiamsi vero ex his recentioris aetatis novis studiis maior humanitatis modus cultusque magis urbanus Atheniensibus evenit, tamen levi hoc argumento usus Droysenius

minus aeque, adversantibus omnibus fere veterum iudiciis, magnam morum perversitatem, quae ex ipsa illa rerum conversione consecuta erat, paene prorsus negare audet, et documentis, quae mihi quidem persuadere nullo modo possunt, novae rationis propugnatores potissimumque sophistas defendere studet ab omnibus et aequalium et posterorum criminationibus. Summo vero studio nimisque, opinor iudicii sui rationibus a suis de hodierno rerum publicarum statu opinionibus petitis rationem politicam illorum temporum ut minime perversam minimeque corruptam tuetur, et destructoribus reipublicae, quorum actiones nisas fuisse in ambitione et improbitate animorum tota antiquitas candidusque sui temporis iudex Thucydides declarat, integerrimos et innocentissimos mores false attribuit. Talis vero sententia, quam causis tueri coactus est sine dubio haud multis probatis, comodiae quodque ethicae rationis fundamentum detrahit. Quare finem comoediae eum esse Grotius contendit, ut risum hominum sive hilarem sive malevolum captet, nec dubitat eam nominare certamen ignorantiae invidae contra diversa molimina vel argutiora ingeniorum acumina; quin etiam Aristophanem ministrum perditae cuiusdam factionis procerum existimare vix haesitat. Ego vero, qua quis ratione talem secutus sententiam ipsam poeticam comoediae virtutem servare possit, profecto non video. Quae enim ars comica nonnisi salibus mordacibus et impotentibus instructa, ut certis partibus civitatis inserviat sacra profana, perfectissima perditissima sine ullo discrimine lasciva cavillatione persequitur, eam haud multo potiorem existimaverim quam illius laudem poeticam, qui in triviis ad delectandum vulgus nugas scurriles agit viles atque indecoras.

Atque demonstrare adhuc studuimus, quae argumenta qua ratione tractanda sibi sumpserit prisca comoedia; iam restat, ut pauca de chori comici natura ac munere addamus. Ac plerumque chorus in comoedia similiter atque in tragoedia populi extra actionis rationem positi vice fungebatur, animum ad ea attendens, quae ab actoribus susciperentur, ita ut integre iudicaret, si quid im-

probandum ageretur, aut secum perpenderet, quae narrata essent; saepe vero, scurrili quadam specie indutus, ipse symbolice ridicula in conspectu ponit, ut in Eupolidis *Αἰξίν* [1]), Aristophanis Nubibus, Vespis aliis. Omnino igitur chorus totam ipsius comoediae naturam exprimit. Sed cum longum sit ampliore disputatione haec persequi, ad Suevernium referre liceat, qui in commentatione de Nubium indole egregie chori comici officium et naturam sic exponit [2]): „Der Chor der alten Komödie concentrirt in sich das Wesen derselben, nämlich die Darstellung der Gegensätze des Lebens im Gebiete seiner gesellschaftlichen Ordnung und in Beziehung auf deren oft sehr besondere und relative Gesetze, in ihrer Widersinnigkeit und Lächerlichkeit, und ohne Zersetzung durch diese, ganz dem Ursprunge dieser Dichtungsart von den scherzenden und neckenden *κώμοις* gemäss, mit allen Waffen der Schalkheit und des Spottes, welche die Handlung selbst darbietet, aber auch des feierlichsten Ernstes, und er streut durch das Getriebe aller sich selbst aufhebenden Abgeschmacktheiten und Albernheiten wie ein Bild des Edleren und Reineren im Leben, Blumen der schönsten Poesie hin. Je nach der Beschaffenheit des Inhalts der Stücke steht der Chor gleich von vorn herein auf dem überlegenen und richtigen Standpunkte der Handlung, welcher dem politischen Charakter der alten Komödie zufolge der des wahren Interesse des atheniensischen Staats und Volks oder gar wie in der Lysistrata des gesammten, vom Chor der Weiber gegen das vom Chor der Greise behauptete vermeintliche Partikularinteresse Athens vertretenen Griechenlands ist, und wirkt von diesem aus in der Handlung selbst mit mehr oder weniger, sein überlegenes Bewusstsein eben ankündigender Ironie, wie in den Rittern, der Lysistrata, den Fröschen, den Ekklesiazusen, oder er hebt sich von einem

1) Cf. Plutarch. Symp. IV, 1.

2) Süvern, über Aristophanes' Wolken, p. 80 sq. cf. Rötscher, l. l. p. 52 sqq.

einseitigen Standpunkte, gemeiniglich sehr widerstrebend und nach hartnäckigem Kampfe, durch eines wohlmeinenden, alsdann die richtige Einsicht des Volkes repräsentirenden Freundes Beharrlichkeit überwunden, auf den besseren, und ist dann selbst als handelnde Person, nicht auch in der Parabase, grossen Theils ein Gegenstand der Ironie, wie in den Acharnern, Wespen und Vögeln; oder er vertritt zwar in der Hauptsache das Wahre, ist aber doch selbst in irgend einem Contrast mit der Sitte oder herkömmlichen Ordnung der Dinge befangen, und ironisirt dann zuweilen höchst schalkhaft sich selbst, wie in den Thesmophoriazusen, Ekklesiazusen und der Lysistrata; oder er geht schlecht und recht auf das Bessere ein, das in der Handlung betrieben wird, und über die Andersgesinnten weidlich spottend, wie im Frieden." Pauca tamen mihi videntur addenda esse de parabasi, singulari ac propria chori comici parte, quae cum ob singularem naturam, ab omnibus aliis comoediae partibus diversissimam, tum quia discrimen, quod inter veterem comoediam Atticam et mediam novamque intercedit, in parabasi potissimum positum esse videtur, prae ceteris digna est, cuius natura paullo accuratius illustretur. Erat autem parabasis [1]), quam comoediae proprie dictae quasi incunabula esse supra ostendimus, antiquae comoediae Atticae interludium, partim oratorium, partim canticum, partim saltatorium, quod solo choro agente semel bisve, maiore fabulae parte finita, in intervallis, actione vacuis, collocabatur, itaque agebatur, ut fabulae tenore misso modo singuli, àd theatrum procedentes, de rebus cum

1) „*Παράβασις*" vox apud ipsos comicos poetas non reperitur, sed est grammaticorum inventio; dicitur vero ad hanc rem significandam *παραβαίνειν* apud Platonem (cf. Suid. s. v. *παράβασις*), Aristophanem (Schol. Ar. Pac. 735. Acharn. 636, Thesm. 791) alios; idque similiter ac *παρέρχεσθαι* et *παρεῖναι* nihil aliud significat quam: in medium progredi, ad spectatores propius accedere. cf. Kolster, Köster, C. Kock l. l. Hermann, Recension über Kolster in Jahn's Jahrb. f. Phil. 1829, Heft 3.

fabula ipsa laxiore aut nullo omnino vinculo coniunctis dissererent, modo chorus universus, ad spectatores conversus, deorum laudes aliudve quid caneret. Chorus enim, poetae partes ac causam suscipiens, primum illius studia, vota, curas spectatoribus profitebatur et artem ab offensionibus defendebat, tum vicissim et eos deos qui publice colebantur praedicabat precibusque invocabat et iocos effundebat multo sale adspersos de praesenti reipublicae condicione virisque in civitate conspicuis et graviter de vitae publicae artiumque depravatione querebatur: parabasi igitur ipsius poetae ingenium ac mens in clara luce collocabatur. Ex ea autem, quam demonstravimus, parabaseos natura facile efficitur, eam, si rem acu tangimus, sublimioris artis regulis repugnare, quia extra res, quae in scena aguntur, subito in praesens rapimur et deceptione poetica quae vocatur destituimur. Sed poetae comici et ante omnes Aristophanes eximia arte parabasin in eis potissimum locis collocaverunt, ubi ex actionis ratione mora quaedam desiderabatur; neque negari potest, tale interludium, artificiose interpositum, multum ad augendam vim comicam valere. „Nam ut omnes comoediae partes praesertim ironia illa, quae in omnibus eadem reperitur, continentur, sic ipsa parabasis eodem vinculo cum eis coniuncta est.“ Ac similis negligentia, ex eisdem comoediae fontibus deducenda, etiam aliis locis deprehenditur, ubi chorus vel etiam unus ex actoribus, fabulae ratione subito interrupta, poetae persona indutus spectatores adloquitur et quosdam ex eis distincte notat vel digito monstratos, aut bona consilia per seria vel iocos civitati praestat; cuius quidem negligentiae exempla sunt: Ar. Nub. vv. 1100 sqq., Acharn. 496 sqq., Ran. 276 sqq. Ceterum etiam priscae comoediae quaedam fabulae parabasi omnino carent, ut Cratini *Ὀδυσσεῖς*, Aristophanis *Αἰολοσίκων*, *Λυσιστράτη*, *Ἐκκλησιάζουσαι*; idque sine dubio ad leges illas supra memoratas referendum est, quibus poeseos comicae effrenata licentia coercebatur.

Sed iam satis de priscae comoediae natura atque indole disputavisse nobis videmur; licebit igitur nunc ad

eius formam transire exponendam. Qua in re de eis quaestionem, quae ad fabulas in scenam mittendas pertinent, institutionem scenicam dico, actorum numerum et habitum, personarum usum, chori numerum, ornatum, saltationem, rem musicam, alia id genus, quae spectant scenae apparatum, omittam tamquam a nostra disputatione aliena; breviter tantum monere liceat, illa omnia ad augendam vim comicam bene accommodata fuisse.

Sed de eis rebus, quae ad fabularum ipsarum formam pertinent, et de quibus quaestio cum commentatione de comoediae natura et legibus arctius est conexa, hoc loco pauca dicenda erunt, de universa igitur fabularum compositione, de comica dictione, de re metrica.

Ac fabularum quidem conformationem, prorsus a tragoediae forma desumptam adque eius similitudinem institutam, Anonymus de Com. p. XXII his verbis exponit: *πόσα μέρη κωμῳδίας. α. πρόλογος τὸ μεχρὶ τῆς εἰσόδου τοῦ χοροῦ μέρος. β. χορικὸν τὸ τοῦ χοροῦ διδόμενον μέλος· γ. ἐπεισόδιον* [1]) *τὸ μεταξὺ δύο χορικῶν μελῶν. δ. ἔξοδος τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ.* Ac cetera per se sunt perspicua, eae autem partes, quae choro tribuuntur, a tragoedia aliquanto differunt. Nam in comoedia chori carmina parvis cantilenis, solemnibus illis quidem sed minus gravibus miscebantur; interdum etiam duo chori diversi apparebant, ut in Aristophanis Ranis et Lysistrate, et singuli choreutae actorum vice partes secundas sustinebant. Et accedebat parabasis, a tragoedia prorsus aliena. Quinque autem partes habemus, in quibus eius interludii summa posita est: I sermonem, (*ἀναπαίστοι* sive *παράβασις* arctiore sensu) qui a choro stante et ad caveam converso de politicis maxime rebus edebatur versibus anapaestis, II et IV stropham et antistropham, (*ᾠδὴ καὶ ἀντῳδή*) quae responsoriae a choro, saltante plerumque cordacem, lascivam saltationem, in deorum honorem canebantur, III et V duas partes oratorias, respondendi

1) Recte sic hanc partem etiam in comoedia nominari docet G. Hermannus; sed cf. Meinekium, l. l. II p. 756.

legibus obnoxias (ἐπίῤῥημα καὶ ἀντεπίῤῥημα), quibus motu carentibus chorus probabiliter in anapaestorum statione consistens cum singulis cavillari solebat. Quibus duae addendae sunt particulae, altera in prooemio totius interludii collocata et paucis plerumque verbis constans (κομμάτιον), altera vix pars apellanda, sed revera primi sermonis conclusio (πνῖγος sive τὸ μακρόν). Sed nôn omnes parabases septem has partes continent, immo duo genera reperiuntur, magna et parva parabasis; supra vero iam dictum est, aut unum aut duo interludia fabulis inseri posse. Si igitur una datur parabasis, plerumque eo quem adumbravimus modo componitur magnaque apellatur; contra si duae admittuntur, prior quidem in eandem hanc formam effingitur, altera autem, resecta prima parte oratoria duabusque illis particulis, e cantibus tantum chori duabusque strophicis partibus oratoriis constat parvaque nominatur. Quamquam ne hoc quidem ubique a poetis observatum est; neque enim omnes parabases integrae, sed saepe aliqua ex parte mancae sunt. De his varietatibus, quas si singillatim tractaremus ultra huius commentationis fines egrederemur, copiose Kolsterus et Kösterus locis supra laudatis disseruerunt.

Sed de alia quadam particula comoediae propria, quae si non in omnibus at in plerisque priscae comoediae fabulis invenitur, pauca addere ex re erit. Solebant enim iam antiquis temporibus ei, qui carmina phallica, prima comoediae initia, canebant, inter singulos cantus carmina probrosa in quemlibet incidentem αὐτοσχεδιαστικῶς iactare [1]), atque hic phallophororum mos etiam in perfecta comoedia servatus est. Nam poetae versus contumeliis iocisque refertos nulloque cum reliqua actione vinculo coniunctos non alio nisi risus captandi consilio fabulae immiscebant, quos grammatici ἐπεισόδια sive ἐπιγράμματα vocant; cf. Grammat. Bekk. Anecd. p. 253, 19: ἐπεισόδιον κυρίως μὲν τὸ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ ἐπιφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν

1) Cf. Athen. XIV, p. 622 D: εἶτα προστρέχοντες ἐτόθαζον οὓς ἂν προέλοιντο.

ἔξω τῆς ὑποθέσεως. Quibus similia habet Etymol. M. p. 356, 28, et eodem sensu ἐπεισόδιον interpetari videtur Plutarchus de commun. not. p. 1065 D [1]). Reperiuntur autem talia ἐπεισόδια apud Aristophanem frequenter: Acharn. vv. 836—60; 1143—70, Vesp. 1265—91; Av. 1470—93, 1553—65, 1694—1705, Ran. 416—430.

Oratio autem, qua poetae comici utebantur, ad Atticam elegantiam erat composita et ad summum nitorem elaborata, ita ut elatum vigorem cum summa venustate coniungeret; erat igitur specimen Attici ingenii et elegantiae. Quare et semper homines docti huius dictionis urbanitatem egregiis laudibus extulerunt et Quinctilianus, artis rhetoricae praeclarus iudex, eam exemplar bene dicendi esse his verbis declarat: „Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet; nam et grandis et elegans et venusta“ e. q. s. [2]). Atque haec oratio maximam partem ab ipsis poetis comicis mira cum arte creata est; egebat enim comoedia dictione, quae media esset inter tragoediae granditatem et vilem plebis sermonem. Poetae igitur et perfecta sublimique dictione tragica et urbano ingenuorum hominum sermone et vulgari plebis ratione cum sana iudicio usi propriam illam comicam elocutionem conformaverunt, cuius vim cum urbano quodam nitore et elegantia coniunctam maxime in dialogo merito admiramur, cum melicae partes, ad tragoediae similitudinem compositae, plerumque afflatum quendam et gravitatem vere grandem sublimemque prodant [3]). Sed etiam aliud ioci instrumentum quasi comoedia ex ipsa tragoedia hausit, quod dictionem comicae suavem tribueret atque lepidam va-

1) Cf. Meineke l. l. II, p. 756 sq. G. Hermann, Recension der fragm. com. v. Mein. in Jenaer Litt. Zeitung, 1842.

2) Quinct. Instit. orat. X, cap. 1, 65.

3) Cf. Ar. Equ. vv. 551 et 581, Ran. 324, 382, 454; Equ. 565, Vesp. 1040 sqq., Av. 212 sqq.

rietatem, parodiam dico. Poetae enim ei, quam maxime usurpabant, leviori orationi saepissime locos ad grandem spiritum tragicum accommodatos vel ipsorum poetarum et epicorum et lyricorum et tragicorum sententias inserebant, non ita ut illos poetas ironia quadam vituperarent, de quo parodiae genere iam supra locuti sumus, sed ut per ridiculam illam asperitatem, quae fieret cum actores, nugas rerum molientes, nota poetarum grandia verba vel nuper in eadem scena cum gravi cothurno audita ederent, nova quaedam atque haud spernenda comica vis fabulae accresceret. Neque minus risum movebat, cum actor initio orationem inflato tumore verborumque pompa insignem emitteret, tum vero subito in vilissimum sermonem decideret. Quae quidem parodia illis temporibus eo gratior fuit atque efficacior, quod nemo erat inter Athenienses ita politioris humanitatis expers, quin eorum, qui fuerant principes in arte poetica, carmina iam a puero haberet cognita, neque quidquam erat, quod magis necessarium videretur ad liberalem eruditionem quam poetarum scripta.

Atque sectabantur poetae comici hoc parodiae genus diligentissime, exemplum imitati potissimum Epicharmi. Sed de eis locis, quos ex Homero, Hesiodo, poetis cyclicis aut in parodiacum sensum depravatos retulerunt aut quorum colorem tantum imitati sunt, quatenus e fragmentis et fabulis servatis erui possunt, copiosissime ac doctissime disputavit W. Ribbeckius [1]) omnesque cum epicorum verbis collatos commemoravit. Quare operam et oleum perditurus esse mihi viderer, si quae ille commentatione non minus accurata quam dilucida protulit isdem verbis redderem, et locos parodia insignes, quos omnes ille indagavit, iterum exponerem. Sed quantum ipse per temporis rationem indagare potui, praestantissimos eorum locorum afferam, quibus in Aristophanis fabulis versus poetarum lyricorum maximeque tragicorum in parodiam detorquentur; in qua opera saepissime omnibus veterum testimoniis

1) Ribbeck, de usu parodiae apud comicos Atheniensium, Progr. R. Gymnas. Berlin 1861.

destituimur, ut cum ipsa carmina vel fabulae traductae ad nos non pervenerint et scholiastae saepe nihil ad illos locos adnotaverint, cuius poetae versus traducantur certe definire non possimus.

Ac lyricos quidem poetas Aristophanes imitatus est hos: Pindarum Equ. vv. 1263 sqq. (cf. fragm. Pind. 59) Nub. 595 sqq. (cf. frgm. Pind. 285 ex Etymol. M. p. 504, 3) Equ. 1329 (cf. Schol. ad h. l. et ad Nub. v. 299) Vesp. 306 (cf. Pind. fragm. 197); Stesichorum Pac. vv. 775 sqq. et 797 sqq. (cf. Poet. lyr. ed. Bergk. p. 643); Timocreontem Rhodium Vesp. v. 1063 (cf. schol.), Alcmanem Av. 251 (cf. schol.), Anacreontem Plut. vv. 1002 et 1075 (cf. Bergk., poet. lyr. p. 684), Archilochum Ran. v. 703, Pac. 693, Acharn. v. 120.

Maxime vero Aristophanis petulans ingenium versatum est in versibus ridicule detorquendis poetarum tragicorum, quorum elata ac magniloqua oratio, sententiarum plena, imprimis accommodata est ad risum tali parodiae genere movendum; tales igitur locos, qui apud Aristophanem reperiuntur, breviter percenseamus.

Atque haud raro ille quidem poetarum versus imitatus ex suo consilio in comoedias recepit; ita imitatus est Aeschylum his potissimum locis: Thesm. vv. 134 sqq. (ex Aesch. Lycurgo, cf. Hermanni opusc. V, p. 14 sq.) Lysistr. 188 (cf. Aesch. Sept. 43) Av. 276 (ex Edonis, cf. Herm. l. l. p. 16 sq.); Sophoclem vero his: Equ. vv. 498 sq. (ex Iolao, cf. schol.) 1098 sq. (e Peleo, cf. schol. ad h. l. et ad Nub. v. 1419) Av. 851 sqq. (e Peleo, cf. schol.) Av. 275, Vesp. 1081, Pac. 357, Nub. 584 (e Teucro); Ionem tragicum: Ran. 706 (e Phoenice vel Caeneo); Euripidem: in *Γεωργῶν* fragm. VIII ap. Meinck. l. l. II p. 987 (e Cresphonte, frgm. XV), Acharn. 659 sqq. (ex incerta fab. cf. Suid. s. v. *ἀλωτόν*), Vesp. 1074 (e Stheneboea); Av. 213 sq. vero Aristophani Euripidis versus Hel. 1107 sq. obversatos esse, falsa opinio est a Valckenario et Matthiaeo servata, cum Hermannus et Welckerus (Gr. trag. p. 530) satis probabiliter Helenam post Aves in scenam missam

esse ostenderint; neque omnino negari potest scholiastas in annotandis talibus locis saepe erravisse.

Iam multi tragicorum et potissimum Euripidis loci in comoediam transmissi sunt, qui cum ipsi nihil habeant, quod indignum tragoedia videatur, leviter inflexi in aliam sententiam eamque comoediae maxime aptam et accommodatam convertuntur. Idque interdum fit ita, ut ne voce quidem mutata tamen ex alia sententiarum ratione vel alia significatio vel tenue quoddam significationis discrimen dictionisque acumen enascatur, velut Aristoph. Nub. vv. 1264 sqq. (e Xenoclis fabula aliqua) Av. 808 (ex Aesch. Myrmid. cf. schol.) Plut. 635 (e Soph. Phineo), Equ. 1302 (ex Eur. Alcm. cf. schol.) Av. v. 1244 (cf. Eur. Alcest. v. 675), Ran. 93 (ex eiusdem Alcmene, cf. schol.), aliis locis.

Saepius vero poeta ita in parodia versatur, ut singulis vocibus omissis aliisque in earum locos suffectis vim aliquam iocularem consequatur. Atque eo modo, quem nunc indicavimus, Aristophanes horum poetarum locos detorsit: Aeschyli Acharn. v. 883 (ex Ὅπλων κρίσει), Av. 1420 (cf. Aesch. fragm. 133) Eccl. 392 (e Myrmid., cf. schol. et frgm. 127) Av. 1246 (e Niobe), Eccl. 392 (e Myrmid.); Euripidis Acharn. v. 893 (cf. Alcest. v. 367), Equ. 1240—52 (sunt hi versus ex Alcest. vv. 179 sqq. aliisque fabulis detorti), Vesp. 111 (cf. Stheneb. fragm. II ap. Matth. et Dind.) Pac. 528 (e Telepho, cf. schol.), Thesm. 194 et Nub. 1415 (cf. Alcest. v. 691), Pacis exordio, quo parodiae continuantur e Bellerophonte et Aeolo sumptae, (cf. vv. 76 sq., 85 sq., 114 sq., 119 sq., 126, 140, 153 sq. cum scholiis); Lemniarum fragm. II ap. Meinek. l. l. II p. 1098, (cf. Iphig. Taur. v. 31), Vesp. 996 (cf. Eur. Androm. 1077), Equ. 1240 (e Telepho), 1249 (e Belleroph.), Vesp. 312, (e Theseo), 763 (ἐκ Κρησσῶν, cf. schol.), Lysistr. v. 706 (e Telepho), Vesp. 749 sqq. (ex Alc. v. 866, Hippol, Beller.), Nub. 1154 sqq. (e Teleo), 1165 sq. (cf. Hecub. v. 172), Ran. 470 sqq., 800, Thesm. 1015 sq. Equ. 813, Plut. 601 (e Telepho), al.

Multi denique extant loci, qui ad tragici tantum imprimisque Euripidei sermonis, grandi quodam fastu

insignis, similitudinem compositi sunt, velut saepissime reperiuntur per Ranarum et Thesmophoriazusarum fabulas; praeterea etiam Pac. v. 140, 380 sq., Vesp. 1482, 1487, Av. 1197, 1238 sqq., 1706—19, Plut. 9, 39, 114, 639, 758 al.

Alia, quae in singulis sive versibus sive dictionibus ab Aristophane ex Euripidis fabulis istius parodiae variis generibus deflexa sint, multa fuisse facile suspicari licet e vellicatione Cratini sic illum compellantis:

τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτολόγος, γνωμοδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων,

ad quam lepidam irrisionem haec festive reposuit Aristophanes :

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ κεῖνος ποιῶ [1]).

Neque vero omittendus mihi videtur frequens apud comicos usus aenigmatum et proverbiorum, quae cum plerumque gravem contineant sententiam, non minus quam loci tragici ad talem, qualem descripsimus, lusum parodiacum apta sunt [2]); eodemque pertinet, quod saepe viles sententiae alta ac sublimi oraculorum elocutione proferuntur et solemnis praeconum oratio in ridiculum detorquetur [3]). Cetera orationis comicae artificia missa facio tamquam aliena a proposito magisque ad disciplinam artis rhetoricae spectantia.

Verborum autem conformatio apud comicos est audax quidem et libera, sed etiam artificiosa atque ad Atticam elegantiam accommodata. Interdum vero verba a puro sermone Attico aliena ac vere monstruosa adhiben-

1) Cf. Schol. Plat. Apol. p. 330 Bekk., Plut. Mor. p. 30 D.

2) Vesp. vv. 21, 191, 480, 508, 604, 634, 846, 929, 959; Ran. 191, 736; Thesm. 135, 928; Eccl. 109, 885, 943; Plut. 17, 210, 293, 925, 1151; Nub. 1417; Lysistr. 629, 1038; Pac. 129, 362, 1102, 1308, Equ. 1013, Av. 1106, 1136, 1673; cf. frgm. Babyl. XII ap. Bergk.; frgm. ap. Suid. s. v. *ἀμώμενοι*.

3) Av. v. 449; Equ 196, 1015 sqq., Thesm. 39, 295, Eccl. vv 831 sqq., Lysistr. 770.

tur ad augendam vim ridiculam [1]), atque eodem sensu nonnunquam quibusdam personis, per quarum indolem licet, sermo plane vulgaris ac barbarus tribuitur [2]). Denique breviter monere liceat, ne id quidem artificium a poetis comicis prorsus negligi, quo versus cum antecedente consonat extremis verbis, vel plura verba, deinceps se excipientia eiusdemque versus terminis inclusa, ab eadem littera consonanti incipiunt.

Quod postremo breviter debet adiungi, id ad metrorum rationem pertinet, quam comoedia sit secuta. Ac metris quidem fere eisdem utitur comoedia atque tragoedia, nisi quod altera numeris studet gravibus ac severis, altera solutis gaudet atque liberioribus. Sunt igitur metrorum modi, quos comici poetae adhibuerunt, omnino ad artem instituti, nihilque a tragicis videntur differre, nisi quod maiorem facilitatem ac varietatem prae se ferunt, quae vero semper cum eximio artificio ad argumentorum rationem accommodata est. Atque imprimis Cratinum in metrorum ratione grandem fuisse ac magnificum, pauca quae extant fragmenta docent; prae ceteris autem Aristophanes in hac re tamquam *ἄριστος τεχνίτης* praedicandus est. Qui cum ceteros subtiliores numeros admirabili elegantia ac venustate tractavit, tum maxime tetrametrum anapaesticum ad summum perfectionis gradum excoluit atque perpolivit, ut eadem arte modo summam dignitatem et gravitatem modo liberrimam licentiam ac petulantiam exprimeret. Quare semper viri docti merito hoc versuum genus tamquam specimen artis Aristophaneae egregiis laudibus extulerunt.

1) Eupol. ap. schol. Dionys. Thrac. p. 702, 5 et ap. Suid. vol. II, p. 126, Arist. Acharn. v. 390, Eccl. 1170, Pac. 828 al.

2) Hermipp. in *Ἀρτοπώλισιν* ap. Athen. III, p. 119 c; Arist. Thesm. 1000; Lys. 93, 1076 sqq.

Bonnae, typis Caroli Georgi.